ad uso del P. Fran.co dalle Grotte
Min: Oss:

EPITOME

SEU

S. MORALIS THEOLOGIÆ

DEFINITIONUM ALPHABETICA COLLECTIO

QUA

Unica sententia Theorico - Practice exponuntur omnia morum praecepta, et omnium conscientiae casuum resolutionis tutissima regula.

EDITIO SECUNDA

Omnibus, quae ab Auctore vel addita, vel emendata sunt, locupletata.

PARS ALTERA

Romae 1824.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ.

Superiorum Permissu

ALMAE . MARIAE
Virgini . Immaculatae
Praeconia
Programma

Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, in quo omnes peccaverunt.

Anagramma

Unum humanum Conceptum, pureque innocuum
Unam Christi Parentem edicit.

Ven. Clara Isab. Fornari.

Programma Angelicum

Ave Maria gratia plena Dominus tecum

Anagramma purissimum.

Deipara inventa sum? Ergo immaculata

Epigramma Seraphicum

Gloria natorum illustrat de jure Parentum
Immaculata ergo jure Parentis ero.

Disticon

Candida semper erit, simplex, formosaque Virgo
Dum Florem nitidum Virginitatis habet.

L

LACTICINIA v. JEJUNIUM.

LAICUS. Est penitus incapax Juris spiritualis, seu Ecclesiastici, ideo spiritualia, et Ecclesiastica negotia tractare nequit, nec ullam habet potestatem in personas, et res Ecclesiast.; quia illis nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.

2. Laicus causas spirituales, beneficiales, vel decimales, etc. sibi arrogans, esto sit superior Minister, cujuscumque Principis, Excommunicationem Bullae Coenae incurrit, sicut, et ille incurrit, qui ad suum Forum trahit personas Ecclesiasticas, Collegia, Capitula etc. quoquo modo praejudicans Foro Ecclesiast. Item illi omnes Laici eamdem incurrunt excommunicationem, Episcopos, vel Praelatos impedientes, ne utantur jure suo: sic usurpantes, jura fructus etc. Sic imponentes decimas, talleas, collectas, vel alia onera, absque Sanctae Sedis licentia. Incurrunt item, causas criminales Ecclesiasticas judicantes, tractantes etc. absque licentia.

3. Laici omnes, etiam Principes, et Reges in spiritualibus causis subduntur Ecclesiastico Judicio. Sic Laici res Ecclesiae usurpantes, pro re Ecclesiae, pro juramenti observantia, conveniri debent coram Judice Ecclesiastico.

4. Laicus disputare non potest, nec publice, nec privatim de Fidei mysteriis. non potest praedicare, sub paena excommunicationis ferendae etc.

LECTIO LIBRORUM PROHIBIT. v. LIBRI PROHIB. v. LIBELLUS.

LECTORATUS v. ORDO n. 11.

LEGATARIUS. *Est, et dicitur ille, cui ab haerede est praestandum legatum, seu res, ei a Defuncto legata, seu*

relicta. Legatarius, et haeres, quis esse nequit, immo cessat legatum eo ipso, quod Legatarius efficitur haeres universalis, quod intelligendum est, durante titulo haereditatis.

2. *Not.* Legatarius carnaliter cognoscens uxorem Testatoris post ejus mortem, indignus est Legato, et applicatur Fisco, quia si hoc fecisset vivente Defuncto, non legasset certe illum.

LEGATUM. *Est donatio quaedam a Dafuncto relicta, et ab haerede praestanda.*

2. Legatum, aliud est *prophanum*, idest relictum ad prophanas causas: aliud *pium*, ad usus pios relictum, et animae suffragium.

3. *Legata ad Causas* pias valent, etiamsi Testamentum ad causam prophanam factum, ob defectum solemnitatis civilis, corruat, dummodo constet de voluntate Testatoris.

4. *Falcidia, et Trabellianica*, non detrahitur a Legatis ad pias Causas, nec ex Legatis Ecclesiae, Confraternitatibus, oneribus Missarum etc.

5. Pontifex, ex justa, et rationabili causa potest valide, et licite commutare Legata Pia.

6. Cum Legatum non potest de jure, aut de facto impleri in propria specie, seu usu signato a Testatore, potest Episcopus de consensu haeredis, aut Executoris Deputati, commutare illud in alium pium usum, immo posita justa causa, potest de consensu haeredis commutare Legatum, etiam si de jure, et de facto impleri potest.

LEGISLATOR, cessante rationabili causa excusante, tenetur propriis legibus, vi directiva, non coactiva, dummodo leges sint tales, quae subditum simul, et Principem deceant. v. LEX.

LEGITIMA. *Est portio illa haereditaria, quae necessariis haeredibus, scilicet, liberis, et aliis descendentibus, (iisque deficientibus) ascendentibus in Testamento, necessario relinqui debet.*

2. Legitima hoc modo debetur liberis. Si sunt quatuor et infra Legitima inter eos dividenda erit *Triens*, seu ter-

tia pars totius haereditatis relictae, deductis, funeribus, et aere alieno. Si fuerint quinque, aut plures; legitima inter eos dividenda, erit *Semis*, seu media pars haereditatis, ut supra, inter eos dividenda. De aliis partibus extra legitimam, Parens disponere potest ad libitum. In hoc numero computantur ingressi Religionem capacem; non autem qui sunt legitime exhaeredati.

3. Legitima debita haeredibus necessariis, relinqui debet sine ullo onere, aut gravamine, quae si sint, tamquam non sint, habenda sunt.

4. Legitima statim debetur Filiis post obitum Patris, una cum fructibus a die mortis, si haereditas consistit in bonis fructiferis, et hujusmodi fructus taxantur ad quinque pro centenario, et anno. *Rota Rom.* Sed non potest peti, nec debetur filiis, viventibus adhuc parentibus, licet possit a Patre persolvi. v. HAEREDITAS *n.* 2.

LEGITIMATIO. Per subsequens Matrimonium non legitimatur prolis, quando copula habita inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, est comm. sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta eodem perseverante impedimento? tunc in favorem prolis judicium ferendum definit Bened. XIV. Bull. T. I. n. 13. v. FILIUS ILLEGITIMUS.

LEX Juxta D. Thom. a ligando dicitur, quia proprius ejus effectus est subditos obligare, et sic definiri potest: *Regula, aut mensura actuum humanorum, per quam ad agendum id, quod est rectum, et ad omittendum id, quod est pravum, dirigimur*. 2. 2. *q.* 90. *a.* 1.

2. Lex differt a *praecepto*. Lex enim communitatem respicit, fertur ab habente jurisdictionem, habet aliquam perpetuitatem, datur in utilitatem etc. *Praeceptum* vero, uni, vel pluribus solum datur, fertur etiam a non habente jurisdictionem, non datur, nisi praesentibus, et saepius fertur in utilitatem praecipientis etc.

3. Generatim Lex dividitur in *Æternam*, *Naturalem*, *et Positivam*, *Aeterna* est Summa, ac immutabilis ratio in Deo

ab aeterno existens, dictans, quid bonum, et justum, quid malum, et injustum sit.

4. Lex *Naturalis* def. a S. Thom. *Participatio Legis aeternae in rationabili Creatura, dictans, et praescribens, illud esse agendum, quod est intrinsece bonum, illud fugiendum quod est intrinsece malum*. Lex naturalis in omnium mentibus existit, nec potest mutari, quia nihil praecipit, aut vetat, quod ex natura sua non sit bonum, vel malum. Sed nullam admittit dispensationem: Communis est Theologorum sensus legem *naturalem* nullam admittere ignorantiam insuperabilem.

5. Lex *Positiva illa est, quae libere imponitur a legitimo Superiore, praecipiens, vel vetans ea, que sunt ex re indifferentia*. Talis est Lex, quam dedit Deus in Veteri Testamento per Moysen. in Novo Testamento per Christum: Talis est Lex Ecclesiastica statuta per Concilia, per Pontificem, per Episcopum. Talis est Lex Civilis emanata per Imperatorem, per Rempublicam. Haec lex Positiva duplex est. *Divina*, quae Deum: *Humana*, quae hominem habet auctorem.

6. Lex *Positiva Divina* dividitur in *Veterem*, sive Mosaicam, et *Novam*, sive Evangelicam.

7. Lex *vetus*, sive Mosaica fuit bona, quia ejus sanctitatem celebrat Scriptura Sacra, quia eam Christus diligenter observavit: quia eximiam morum tradit disciplinam: Haec Lex abrogata fuit, quia Mosaica Religio stare non potest sine Sacerdotio, sine Sacrificio, sine Templo, quae omnia Judaeis sunt ablata. 2. Quia sine ulla exceptione dicit Apost. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia . . . quoniam si circumcidamini nihil vobis proderit Christus*. 3. Quia veritate accedente, evanescit figura. Lex autem vetus fuit Evangelica figura.

8. Lex *nova* describi potest. *Lex a Christo data, ab Apostolis promulgata, conjunctam habens sibi gratiam ad finem mundi usque duraturam*. *A veteri* discriminatur. 1. Quia Lex vetus in tabulis lapideis scripta est, *nova* in corde hominis. 2. Lex *vetus* hominem timore poenae a peccato de-

terrebat; *nova* ad bonum faciendum amore inclinat. Lex ergo *positiva Divina* ad ea omnia se extendit, quae hominem ad salutem consequendam possunt conducere: Quae Lex, cum sit idem, ac *Divina revelatio* contenta in Scriptura, et Traditione, docens, quid agendum sit, quid non: oportet, ut homo talis sit erga legem *Divinam positivam*, qualis esse debet erga *Divinam revelationem*.

9. Triplicis generis sunt novae legis praecepta; *Moralia*, quae, licet a Christo non sint instituta, ab eo tamen sunt confirmata, explicata, et vindicata: *Praecepta Fidei*, quae sunt a Christo clarius explicata; ita ut explicite credere teneamur, quae in veteri implicite credebantur. *Praecepta Sacramentalia*, quae sunt a Christo de novo instituta, et sunt loco veterum ab eo abrogatorum.

10. De lege nunc Positiva humana: *Haec est rationis ordinatio stabilis, ad bonum publicum condita, et promulgata ab homine, qui curam Communitatis politicae, aut Ecclesiasticae habet, cum intentione obligandi subditos*. Principes Seculares sive boni, sive mali possunt leges condere, quae in conscientia obligant, quia sic praecepit Christus: *Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo*.

11. Etiam Ecclesia potest ferre leges obligantes in conscientia: neque enim nunc minor est Ecclesiae auctoritas, quam Apostolorum aetate, qua si leges ferre potuit, ergo et nunc.

12. Certum est, humanae legis objectum esse quamcumque rem laudabilem, et honestam, vel saltem ex se indifferentem, quae ab bonum possit referri commune.

13. Legis civilis objectum est materia, et quidquid ad temporalem populorum pacem tranquillitatem, felicitatem pertinet: non vero res mere spirituales, quia non Principibus, sed Ecclesiae Pastoribus dixit Apost. *Attendite vobis, et universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam suam*. Possunt tamen, et debent Principes providere,

ut in ditionibus suis observentur Ecclesiae Decreta, et Canones, quorum Vindices sunt simul, et Protectores.

14. Propria legum Ecclesiasticarum materia sunt res spirituales, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo*.

15. Legis humanae subjectum sunt omnes illi, qui eidem obtemperare tenentur. Ad illud vero solus tenetur subditus. Ideo infideles, non baptizatos, utpote extra Ecclesiam, legibus Ecclesiasticis non teneri colliges, bene vero haereticos, utpote per Baptismum Ecclesiae subditos, quamvis rebelles.

16. Clerici Lege civili obstringuntur, sunt enim et ipsi velut caeteri cives Reipublicae, ejusque membra, ad eosque spectat haec Apostoli sententia: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*.

17. Peregrini, vagi, advenae etc. Legibus obstringuntur locorum, ubi morantur, vel per quae transeunt.

18. Leges humanae obligant in conscientia, sunt enim verum praeceptum: Quando autem censeantur obligare sub gravi, cognoscendum erit ex gravitate materiae, verborum, poenae etc. Plerumque tamen non obligant, sicut nec Lex Divina, cum vitae, aut gravis vitae periculo, aut incomodo, esto aliquando obliget etiam cum vitae periculo. Sic miles loco stare tenetur cum vitae periculo etc.

19. Lex humana, quatuor modis cessat, nempe: *Cessante fine* legis, per *dispensationem*: *Derogationem*: *Abrogationem*. Hinc cessat Lex causa cessante, per quam fuerat lata. *v. suis locis*.

20. Cujus sit *dispensatio*, et cujus illam concedere, dico: *Dispensare nihil esse aliud, quam eximere aliquem ob obligatione legis, dum erga alios viget*. Hinc id potest legislator, qui legislatorem superat Jurisdictione, et id valet quoque legislatoris successor. *Dispensatio* sine justa causa illicita est: concedi enim non debet, nisi urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas id postulaverit. *Trid. sess.* 22. c. 18.

21. Adest, et dispensatio *subreptitia*, quae, ut dixi supe-

rius, est, in qua postulator reticet aliquod, quod ex Jure, et consuetudine erat exprimendum: *Obreptitia*, cum in petitione aliquid falsum narratur. Sed haec erit regula. Cum aliqua veritas reticetur, aut aliqua narratur falsitas, qua casus vitiatur expositus: invalida erit absolute, esto Summus Pontifex concessurus esset.

22. Lex humana dividitur in *Scriptam*, et *non Scriptam*, seu *consuetudinariam*: et in *favorabilem*, et *odiosam*.

23. *Lex scripta* duplex est, : ia *Civilis*, quae *Jus Civile* dicitur. Alia *Ecclesiastica*, quae *Jus Canonicum* appellatur. Haec a Summo Pontifice, a Conciliis, et aliis Superioribus Ecclesiasticis pro recta gubernatione Ecclesiae, et ad spiritualem animarum profectum est legitime condita.

24. Leges civiles, sive politicas condere potest Summus Pontifex, pro ditione temporali, suo subjecta Dominio, sicut Imperator pro Imperio, Rex pro Regno suo etc. Nulla autem potestas legislativa humana, sive Ecclesiastica, sive Laica potest condere Leges, vel Statuta, contra *Jus naturale*, vel *Divinum praeceptivum*, vel *prohibitivum*, sive statuere aliquid contra id, quod Lex *Naturalis*, aut *Divina*, praecipit, vel prohibet. Immo nulla potestas Legislativa humana, Summo Pontifice excepto, potest leges ferre, et quidpiam statuere contra *Jus commune Canonicum*, aut alias *Apostolicas Constitutiones*.

25. Lex non scripta, sive consuetudinaria definitur *Jus institutum moribus utentium, ubi lex ipsa deficit, vel cum ejus sensus est dubius*.

26. Consuetudo, ut vim legis obtineat, quinque exigit conditiones. 1. Ut sit *honesta*, et *utilis* bono communi. 2. Ut accedat *Legislatoris consensus* tacitus saltem. 3. Ut *continuata* sit per temporis spatium, quod ordinario *decem* annorum est, ubi agitur de consuetudine, quae inducitur contra legem civilem: quadraginta annorum vero pro consuetudine, quae inducitur contra legem Ecclesiasticam: 4. Ut *ctus repetiti*, ex quibus consuetudo sortitur, exerceantur cum

animo se se obligandi. 5. Ut consuetudo a *majori saniori parte* Communitatis invecta sit. v. CONSUETUDO.

27. *Privilegium*, est *Lex privata*, *qua speciale quoddam beneficium contra jus commune alicui*, *justa de causa*, *conceditur a Superiore*. Dividitur in *Reale*, *Personale*, et *Mixtum*. *Reale* illud est, quod immediate alicui rei conceditur ut *loco*, *dignitati*, *Ecclesiae*. *Personale*, quod Personae immediate confertur, ob singulare ejus meritum. *Mixtum* locale est et personale simul, et extincta persona, extinguitur et Privilegium, quod amitti potest, lapsu temporis, per liberam renunciationem, per negligentiam eo utentis, per actum Privilegio contrarium, per abusum illius. v. PRIVILEGIUM.

28. *Lex odiosa* vel *poenalis* est, vel imponens *tributum*, vel *irritans*: Dicitur poenalis cum aliquam transgressoribus poenam denunciat: et observandum: Si poena exprimatur particula copulativa, ut: Nemo triticum ducat extra Regnum, et qui contrafecerit, centum nummos aureos solvet: in hoc casu lex poenalis sub peccato obligat, ad faciendum, vel omittendum, quod jubet, vel vetat. Si vero per formam disjunctivam enuncietur, ut nemo frumentum e Regno, traduxerit, centum solvet aureos; Haec lex non obligat ad faciendum, vel omittendum, quod jubet, aut vetat.

29. *Tributum est Pensio publica*, *eo fine subditis imposita*, *ut variis*, *cum Reipublicae*, *tum Principis sumptibus provideatur*. Lex tributorum obligat in conscientia.

30. Lex *irritans*. v. IRRITATIO LEGIS.

31. An Lex *injusta* manifeste sit observanda? *Resp.* Constat, legem injustam non habere vim obligandi, sed quomodo id sit intelligendum, sequentes indicabunt propositiones.

1. Quoties lex est *injusta* ex obiecto, praecipiens aliquid, quod ex se non est bonum, quaeque est aperte *contraria* legi, vel naturali, vel divinae, vel Ecclesiasticae, nullatenus est observanda. Dicitur enim *Act. v. 29. Obedire oportet Deo magis*, *quam hominibus*. Sic *SS. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *a.* 3. *Bonav. Antonin. et alii*; Quia lex injusta ex objecto, non

est recta rationis ordinatio, sed deordinatio. Hinc sequitur. 1. Honorandus est Legislator, qui legem statuit, sed non est audiendus, cum statuit aliquid contra legem naturalem. Honorandus propter dignitatem, non audiendus, quia non habet auctoritatem. Sic Tertull. in libr. ad Scapulam c. 1. *Colimus ergo et Imperatorem sic, quomodo nobis licet, et ipsi expedit. ut hominem a Deo, secundum, et quidquid est, a Deo consecutum, et solo Deo minorem*. 2. Non audiendus Imperator, cum legem statuit legi positivae Divinae contrariam, sed cum Apostolis dicendum. *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate*. Ideoque spernenda lex illa, qua juberetur, scripturas Sacras non servari, homines non instrui, non conferri Sacramenta etc. 3. Non audiendus Legislator, materiam statuens sibi non creditam, Constitutionibus Ecclesiast. contrariam, ut habetur in Cap. Adriani n. 39. *Constitutiones contra Canones, et Decreta Praesulum Rom. vel bonos mores, nullius sunt momenti*. 4. Quaecumque sit humanarum legum iniquitas, nulla umquam in iniquum Legislatorem mollienda est rebellio, sed patienter sustinenda persecutio. *S. Petrus 1. c. 2. v. 21.*

2. Quoties Legislator, vel non habet absolute potestatem leges condendi, vel non habet potestatem super illos, quibus imperat: tunc lex non ligat, quia non est justa ex auctore; ut lex Ecclesiastica non ligat non baptizatos, sicut lex alicujus Regni non ligat non subditos. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *a.* 6.

3 Quoties Legislator in ferenda lege, non quaerit finem legis, nullumque commodum commune assignari potest, tunc lex non ligat in conscientia, quia non est justa ex fine, ut, si statuta est gabella, ad civitatis muros struendos: his perfectis, si idem exigatur Tributum, tunc injusta exactio est, quia cessavit finis impositi Tributi.

4. Quoties lex est justa ex objecto, ex auctore, ex fine generali, ex modo, sed injusta solum, ex motivo particulari Legislatoris. Tunc lex illa observanda est, quia est vera lex, et proinde ligans in conscientia. Et quamvis Legislator

peccet condendo, pravo motivo, legem aliunde justam, tamen per peccatum non amittit jurisdictionem, et vim subditos obligandi; ut, si Episcopus ex odio, vel malitia, qua flagraret erga sibi subditos, jejunium, aut festum praeciperet, haec lex, esto ex motivo injusta, observanda esset.

5. Cum lex est injusta ex Auctore tantum, semper est observanda, donec manifeste declaretur, auctorem legis nullam habere jurisdictionem. Sic lex legitimi Principis est observanda, quamvis dure, immo tyrannice regat Imperium, quia veram habet jurisdictionem. Sic lex etiam Tyranni, qui injuste Regnum invasit, est observanda, quamdiu est possessor pacificus, quia Respublica illum tollerando, censetur in illum jurisdictionem transferre.

LEX COMMISSORIA. v. ANTICHRESIS: EMPTIO etc.

LIBELLUS FAMOSUS, est *chartula* quaedam, in quocumque loco reperta ad alterius infamiam scripta. Hoc nomine veniunt, Picturae, Scripturae, Carmina etc. in alterius famae detractionem compositae. Nomine Picturae, veniunt, picturae obscenae, turpes in alterius injuriam factae, stercorationes appositae in portis, fenestris etc.

2. Libellos famosos facientes, publicantes, consulentes, mandantes fieri, committunt detestabile crimen. Jure canon. anathematizantur, verberibus carpiuntur publicè, bonorum confiscatione, ultimoque etiam plectuntur supplicio. De Jure civili fiunt infames, intestabiles, ad Triremes ultimoque damnantur suplicio.

3. Iisdem poenis plectuntur, mandantes, cooperantes, consulentes, etc. tamquam causa efficiens: sicut etiam invenientes libellum, illum non lacerantes, non comburentes, aliis manifestantes, sicut etiam dictantes, scribentes, et exemplantes componentes carmina, et similia, in fratrum infamiam; sed et contra mortuos invehentes, libellum nomine alterius signantes et sic dicendum de Bibliopolis, et librorum Mercatoribus: Poena libelli famosi locum habet, etiamsi vera sint exposita etc.

LIBERALITAS. Ex D. Thom. *Est virtus, quae moderatur amorem divitiarum, et reddit nos faciles, et promptos ad eas impendendas, cum, et quando recta dictat ratio.* Est una ex virtutibus Justitiae annexis, cui opponitur avaritia.

LIBRI PROHIBITI ex Indice, triplicis sunt generis. Libri prohibiti, propter eorum Auctorem vel haereticum, vel suspectum, tam editi, quam edendi, de Religione ex professo tractantes, sunt in prima classe prohibiti.

2. Pro secunda classe sunt illi, qui sunt prohibiti, non propter eorum Auctorem catholicum, sed propter non sanam et moribus fidelium repugnantem doctrinam, aut aliquam, quam incidenter continent haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem.

3. Libri prohibiti in tertia classe, sunt illi, qui sunt prohibiti propter ignotum Auctoris nomen, et ob Doctrinam, quam continet malam, sive in genere moris, sive Religionis, sive in genere fidei.

4. Per Constit. Urb VIII. libros habens prohibitos debet ad Superiorem deferre non comburere: ast comburendo non incurrit poenas contra illos retinentes tantum impositas, quia non potest dici retinere, quod jam combustum est.

LIGAMEN. v. IMPEDIM. n. 9.

LINEA. v. AFFINITAS. CONSANGUINITAS. GRADUS.

LIS. *Est petitio justi coram legitimo Judice.* Alia est circa *rem*: alia circa *crimen*. Prima illa est, qua coram Judice peto vel ne res mea, quam possideo, mihi ab alio subripiatur, vel ut res mea, quam alius possidet, mihi reddatur. Lis circa *crimen*, ea est, qua coram legitimo Principe Judice debitam crimini ultionem peto. Ideo.

2. *Litigare* in Judicio, vel civiliter exigendo temporalia bona mihi debita, vel criminaliter exigendo, justam vindictam contra reum, non est peccatum. Quilibet enim potest coram Judice litigare, sive, ut actor, exigendo, quae ei debentur, sive ut defensor, quae sua sunt, tuendo. Sic potest Pater litigare, ut bona conservet filiorum etc.

Quamvis litigare coram Judice, sit justum, et licitum, potest tamen ex circumstantiis fieri illicitum, ideoque melius esset non litigare, ait *S. Thom.* Peccat enim litigans sibi interdictis litibus, petens injustum, avocans ad Judicem illegitimum, indebitis utens mediis, oprimendi, et molestandi causa, cum detrimento pacis, judicium prosequens causando scandalum etc.

LITANIAE Majores maerorem habent, et peccatorum statum potius indicant, quam justorum: In die S. Marci dicuntur, natu D. Gregorii Papae ob peccata, pacem, pestem, conservationem frugum, aliasve, necessitates.. Ex Gavant. part. 4. tit. 11. n. 7. et aliis. Litaniae in diebus Rog. et S. Marci assignatae, nec publicae, nec private possunt pridie recitari, quia sunt onus illorum dierum. S. R. die 28. Mart. 1778.

LITERAE: Aperitio litterarum communiter refertur ad crimen falsi, quod verificatur, si aperiens litteras, sciat esse alienas, non suas. Si id faciat, sine justa causa, si animo promulgandi secreta, et nocendi. Ubi haec concurrant, tamquam falsarius puniri poterit, qui alterius aperit, legitque litteras, sive illae sint clausae, sive apertae, sive publicae, sive privatae, sive integrae, sive dilaceratae etc.

LIVELLUS. Sive Contractus libellarius. Est similis Emphiteusi, in quo datur fundus sub certa pensione in perpetuum, vel ad longum tempus, cum translatione utilis dominii in libellarium, et retentione directi in Libellatore. Circa justitiam, in puncto Juris, et Conscientiae, est licitus, dummodo juxta veras cautiones in praxi procedatur.

2. Duplex est Livellus: alter *Pecuniarius*, cum pro livello solvitur annua pecunia: Alter *Fructuarius*, cum pro eo solvitur triticum, vinum etc.

3. Conditiones sunt: Quod fundus livellandus existat: Quod sit in dominio illius, qui vult dare ad livellum: Quod non sit prohibitus alienari: Quod sit fructiferus: Quod pensio correspondeat fructibus fundi. Hinc si Livellus est perpetuus pensio excedere non debet *quatuor* pro centenario: Si pensio sit

libera a gravamine, non debet excedere *quinque cum dimidio*. si non sit libera *sex*.

LOCATIO v. CONDUCTIO.

LOTTERIA. *Est pactum multorum, aliquid in commune deponentium, cessurum his, quibus signa aliqua contigerint. D. Thom.* 2. 2. *q.* 95. Ea quidem illicita est Monachis, et Monialibus, qui ratione voti nihil possunt acquirere, nec proinde nil per Lotteriam comparare, Clericis, qui non debent pecuniam pauperibus debitam exponére: Item si res, quae per lotteriam proponitur, sit contraria Religioni, ut libri haeretici etc. Si fiat in loco sacro, si non alio motivo, quam cupiditatis et avaritiae, ducatur. Si non absit omnis fraus, et fiat indebito tempore v. LUDUS.

LUCRUM CESSANS. *Est emolumentum, quod quis cessat percipere, ratione mutui*. Hujus conditiones sunt: Ut lucrum, quod speratur sit certum, aut probabile, non dubium aut leve: Ut nullam aliam pecuniam habeat negotiandam, vel si habet, ea fuerit ad alium finem destinata: Ut non exigatur tantum lucrum, quantum speratur, quia id, quod est in spe, non acquivalet ei, quod est in re; et deducendae sunt expensae: Ut lucrum cessans non exigatur statim, dato mutuo: Ut mercator malit negotiari, nam si mallet mutuare, mutuum daret spe lucri.

LUDUS Est triplex. *Recreativus*, *Lucrativus*, *et Mixtus* ex utroque.

2. *Recreativus* ille est, in quo sola intenditur mentis relaxatio, semperque est licitus, modo fiat cum debitis circumstantiis, *lucrativus* est ille, in quo solum intenditur lucrum, et semper illicitus est. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 158. *a.* 3. Ludus *mixtus* ille est, in quo primario intenditur mentis relaxatio, et secundario modicum lucrum. Ludus iste potest esse triplex. Primus est, qui ex sola industria pendet, ut ludus pilae, globorum etc. Secundus, qui solo casu, et fortuna regitur, ut ludus taxillorum, alearum etc. Tertius partim industriae, partim fortunae nititur, ut nonnulli chartarum ludi. Ergo.

3. Ludus *mixtus*, in quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit, est licitus, modo nulla prava circumstantia vitietur, magisque ex industria pendeat, casu etc.

4. Ludus Lucrativus, in quo vel sola intervenit sors, vel sors insigniter industriae praevalet, est omnibus christianis illicitus, cum in eo ingens exponitur summa pecuniae: Ludus alearum, districtius clericis, quam Laicis est prohibitus; Laicis enim prohibetur sub paena excommunicationis comminatoriae; Clericis vero sub paena excommunicationis, simul, et suspensionis comminatoriae, nam in Clericis ebrietati aequiparatur, ut patet ex Can. 42. Apost. *Intellige de ludis prohibitis. Conc. Etib. c.* 79. subiicit poenitentiae aleatores., sicut, et *Jus Civ. et Canon.*

5. Qui alearum ludo deserviunt, et ex professo incumbunt et hi, qui aleatoribus ad ludendum locant domos, sunt in statu peccati mortalis, et nisi resipuerint, absolvi non debent. Sic *Jus Canon. SS. Thom. Bonavent. et alii*.

Hisce positis regulis non videtur silentio praetereundus Ludus nuncupatus LOTTO, qui in nostra Italia, et fere in majori Europae parte communis evasit. Prodiit ludus iste Genuae anno Christi 1627. et eodem anno, quo habuit originem, statim est a Sapientibus ac probis viris, quasi quaedam hirudo pauperum sanguinem dulciter exhauriens, propter ejus injustitiam, fraudem, ac pessimas inde manantes consecutiones, execrabiliter detestatus. Populi enim vana spe ducti multa paucis lucrandi, haudquaquam, quid ludentem inter, et ludi summam Agentem discriminis esset, ut aequalitas utrinque communis haberetur, attendunt: consequenterque injustitiae, simulque tali discrimini se committunt, Patrimonia dissipant, impossibile enim est, diu ludendo in pessum non ire.

Hac enim ductus ratione, qui Reipublicae tunc praeerat ille vetitus voluit. Nihilominus *auri sacra fames*, qua mortales fere omnes afficiuntur, rei novitas, ac nonnullorum ad ludum proclivitas, ut in civitatibus aliis Italiae, fuco honesta-

tis, et spei lucri acquirendi, appareret, moram figeret, imo ageret dominatum, effecere.

Duobus ex capitibus ludus hicce videtur a societate eliminandus: primo ob inaequalitem periculi ludentis, et ludi summam Gerentis. Ludens enim tres exponit huic sorti numeros, quos audit ternus. Quum namque nonaginta sint numeri in Urna repositi; actis omnium nonaginta numerorum comparationibus, exurgent terni 117480. Ex hoc tam ingenti ternorum numero, cum quinque tantummodo numeri extrahantur; Terni solummodo decem militant pro ludentibus; reliqua vero autem ingens ternorum quantitas stat pro ludi summam Agente, qui insuper nihil de proprio insumit sortique exponit, nisi eam summam, quam pro qualibet vice a ludentibus collegit, quam vulgo audit il *Castelletto*: sicque semper in tuto positus, nulli discrimini se committit. Et quamvis per accidens aliquem ludentem videamus proficere, est tamen certum paucissimos ex iis reperiri, et pene infinitum numerum illorum, a quibus perditio, et sors adversa experitur. Secundo loco eliminandus videtur ludus ille, propter periculum damnationis aeternae ex circumstantiis ex natura sua illicitis, quae fere ludum praedictum comitare non desinunt. Inter innumeras, quae aliquorum tantum oculis patent, recensemus superstitiones, vanas observantias, sortilegia, aliaque multa detestabilia, quae aguntur ab iis, qui plus aequo pecuniarum cupiditate ducuntur. Quis enim ignorat, quot sint nedum e vulgari turba, sed etiam ex Doctis, qui, iis, quae proprii juris sunt omissis, vel libris somniorum divinandis, interpretandisque, Cabalis efficiendis, ac evolvendis Liberculis infamibus a lege canonica prohibitis, omnem curam, studiumque praebeant? Haec cur agunt, nisi, ut numerum egrediendum divinent?

Porro sciat oportet christianus quisque prohibita esse haec omnia: cum communis Theologorum sententia sit, divinandi artem Christiano vetitam esse, eo quod futurorum praescientia solius Dei sit propria. Hinc Isaias cap. 41. *annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii*

estis vos. Unde qui hanc artem exercent detestabili superbia se vinciri ostendunt: facientes, quod solius Dei proprium est, creaturae commune, detrahentes altissimae Dei sapientiae, quam paulo humana subliniorem putant. Igitur ludus ipse, utpote Lucativus, et damnosus tam ex inaequalitate periculi propter injustitiam, quam ex circumstantiis propter periculum peccandi contra Religionem, illicitus est. Et merito a Principibus christianis vetitus fuit.

Nihilo tamen minus non defuerunt Theologi quidam, qui hominum palpantes conscientiam, sustinere arbitrati sunt, illum esse de genere permissorum, uti *Sabell.* §. *Ludos fol.* 86. *num.* 11. *tit.* 3., Martinus delrio *Disquisit. magicar Lib.* 4., *quaest.* 4. *Tom.* 2. multique alii. Hinc factum est, ut Principes coacti importunis supplicationibus hominum cupidorum, licet invito animo, in scenam ludum istum attulerint. At videntes quotidie ex stygio hoc fonte superstitiones, vanas observantias, sortilegia, rapinas, fraudes, injustitias, honoris jacturas, calamitatesque scaturire, iterum Ludum praefatum diris devoverunt, et a suis Dominiis exultatum voluere. Sic Genuae Archiepiscopus casum talium Ludentium sibi reservavit. Sic Sabaudiae Dux, veluti bonis moribus, hominum felicitati infensum, et multorum criminum originem prohibuit. Omnibus tamen palmam, sicuti ipsis praecipue incumbit a noxiis pascuis gregem universum amovere, Summi Pontifices praeripuerunt. Quamobrem Alexandro VII. Philippi IV. Hispaniarum Regis rogatu, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda ludum hunc prohibuit, fidelibus omnibus in hispanica Ditione existentibus: una cum suspensione, et omnium beneficiorum privatione in Ecclesiasticos Saeculares dicti Regni, et in Regulares una cum vocis activae, et passivae privatione. Fidelibus quoque Status Pontificii vetuit sub gravissimis paenis idem vigilantissimus Pontifex. Innocentius quoque XI., re prius mature perpensa in una ex Congregationibus ad hoc instituta, devenit tandem, ut illum ab universo Christiano populo eliminaret. Quare publico Edicto sub poenis gravissimus damnavit sub die 3. Decembris 1685. Idi-

psum egit Innocentius XII. in Sua Constitutione sub. dat. 24. Martii 1696. quam quidem constitutionem renovavit Clemens XI.

Etsi verum sit, quod Clemens XII. necessitate compulsus, adeoque invitè, ludum praedictum denuo restituisset, verissimum pariter est Benedictum XIII. post plu-ries repetitam ludi hujus prohibitionem, sub poenis corporalibus, et pecuniariis, videntem antem a suis Subditis nondum avulsum, celebri sua Bulla sub. dat. 12. Augusti 1727. iterum prohibuisse, ac anathemate sibi reservato quemcumque subjecisse, qui vel luderet, vel denarios sumeret ludendi causa, etiam extra statum Ecclesiasticum.

Ex his itaque deducitur ludum hunc a Viris prudentibus, ut plurimorum malorum scaturiginem reputatum semper fuisse, et si aliquando admissus fuit, hoc advenisse ob duritiem cordium quorumdam Christianorum, eo modo, quo Moyses ob duritiem cordis Judaeis permisit Libellum repudii.

Verum vero hodiernis hisce temporibus videtur quasi approbatus a Principibus, et permissus a Summo Pontifice, quatenus apud R. C. A. existit. Et hoc argumentum est Lydius lapis, in quo desperantium repositum videtur refugium. Sed haec Summi Pontificis tollerantia ad summum vindicatur Ludus praefatus tantummodo ab inaequalitate periculi, ac lucri, et idcirco id, quod ludum efficiebat illicitum, ob lucri securitatem ex parte Gerentis ludi summam, non amplius videtur existere, quia lucrum istud remanet apud Principem, qui, in vindictam duritiae cordium Ludentium, potest illud veluti tributum in Reipublicae bonum recipere, et in pios usus convertere. Non vindicatur vero ab aliis circumstantiis, quae sua natura illicitae sunt, ut supra dictum fuit. Et per consequens id, quod dicitur ob publicam quietem toleratum, seu permissum, non potest dici libere volitum, et adprobatum.

LUXURIA. *Est inordinatus appetitus, vel usus venereorum.* Et est genere suo mortale peccatum, et inter capitalia vitia locum tenet. Ejus species sunt septem: Fornicatio, Adul-

terium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, vitium contra naturam: v. *sub litteris suis*.

2. Filiae luxuriae sunt octo: *Caecitas mentis*, *Praecipitatio Inconsideratio*, *Inconstantia*, *Amor sui*, *Odium Dei*, *Affectus praesentis saeculi*, *Horror futuri*: Quatuor priores sunt ex parte intellectus, caeterae ex parte voluntatis

LITURGIA. Patres Latini Liturgiam appellant *Missam*. Greci *Liturgiam*, seu ministerium, Sacrificiumque Altaris. Ita omnes. v. MISSA.

MACHINATIO v. CRIMEN.

MAGIA. Alia est *naturalis*, quae est ratio quaedam mira operandi per causas naturales absque ope Daemonis. Haec, esto non sit mala, est tamen periculosa, et ad superstitionem manuducens, proptereaque, quantum fieri potest, cavenda *S. Thom.*, *et alii*.

2. Alia dicitur *superstitiosa*, sive *Diabolica*, et est ratio quaedam mira operandi, ope Daemonis: Haec est duplex, seu duplicem habet finem; primus quorum est, propria ostentatio, aliudve commodum sive alienum, sive suum. Alter est noxa alicui inferenda, et proprio nomine dicitur maleficium, vel veneficium: maleficium quidem, si noxa inferatur incantationibus, carminibus, caracteribus, aliisve signis, inito pacto cum Daemone: veneficium vero, quando malis pharmacis, sive venenis id fiat; nonnumquam etiam incantatores, venefici appellantur.

3. Magia, veneficium, et maleficium sunt ex genere suo peccatum mortale, utpote continentia expressam, vel tacitam Daemonis invocationem; immo Magia ordinaria multa alia complectitur peccata, ut sunt haeresis, abnegatio Dei etc., meritoque leges, etiam civiles, istiusmodi igni tradunt.

4. Remedia maleficiorum, quaedam sunt naturalia, quaedam supernaturalia, et quaedam moralia. Horum postrema sunt ea, quae pertinent ad pactum cum Daemone dissolvendum, quando ex pacto nocet, id, quod fit, signa amovendo magica, ad quorum praesentiam Diabulus nocumentum affert. Naturalia remedia, vim habent tenuem, quia Diabulus facile omnem illorum eludit activitatem: bonum tamen est, illa ab initio experiri, juxta ordinem praescriptum. Supernaturalia sunt optima, et Auctores multa enumerant, praecipua vero sunt Magna fides in Deum: Susceptio baptismi, si non est baptizatus: Confessio Sacramentalis: Sumptio Eucharistiae: Exorcismi Ecclesiae: Aqua, Reliquiae Sancto-

rum: Signum SSmae Crucis: Invocatio nominis Jesu, et Mariae; Oratio, ac Jejunium etc.

Not. Non licet tollere signa magica: *v. g.* ligaturas, nodos, volumina Capillorum etc. per novum maleficium, neque hoc a malefico scienter petere, quamvis paratus se offerat. Nullo enim modo ait. *S. Thom. in 4. dist. 34. a. 3. ad 3. debet aliquis auxilium Daemonis, per maleficia invocare.* Licet vero inventum maleficium, in contemptum, et detestationem magicae superstitionis, comburere, conculcare, etc. quia hoc non est communicare cum Diabolo, sed opera ejus perdere. Licet insuper maleficia destruere, sub ea spe, quod nocumentum cessabit, modo in solo Deo omnis ponatur spes, nec aliquid a Daemone expectetur, *cujus beneficia*, ait S. Leo, *sunt omnibus vulneribus nocentiora.*

5. Nunc quomodo cum malefico, se gerere debeat Confessarius? Debet in primis inquirere; utrum cum daemone partem habeat, aut pactum, quod dissolvi videtur per veram poenitentiam, sinceramque Confessionem, et conversionem: Quod si maleficus apud se habeat chirographum, vel ejus exemplar, tunc tenetur alterum, quod penes se habet, perfringere, et Confessario tradere: Hinc debet a malefico inquirere Confessarius, quaenam patrarit peccata, et crimina, quibus intellectis, ad Confessionem procedat Sacramentalem. Si maleficus habeat aliquid alterius, tenetur ad restitutionem, si vero ex Thesauris, depositis etc. cum ipso damna proximo illata compensabit: restitutio enim rerum necessario facienda est. Maleficum muniat Confessarius spiritualibus remediis, ne ad vomitum iterum transeat, adhibitis etiam convenientibus exorcismis. *Intelligitur semper posita abjuratione.*

MAGISTER publicus est Reipublicae, tum Ecclesiasticae tum civili maxime necessarius. Tales sunt Grammatici, qui pueros ad legendum, scribendum, et congrue loquendum efformant. Rhetores, et Dialectici, qui adolescentes ad ratiocinandum, et ornate disserendum instituunt. Artium quarumcumque liberalium Magistri, qui eas artes, quas libera-

les vocant, Philosophiam scilicet, et Mathematicas demonstrant. Jurisperiti, qui utrumque Jus Canonicum, et civile docent. Denique Theologi, qui Christianae Religionis dogmata exponunt.

2. Qui ad munus publice docendi eligitur, debet esse immunis ab illis cordis, et corporis defectibus, qui discipulos a studio removere possent. Oportet ideo, ut sit corpore sanus, ingenio sagax, integer moribus, ut cuncta, quae in eo sunt, discipulos attrahant, et ad studendum suaviter alliciantur.

3. Magister duo debet praecipue discipulis suis: bonum exemplum, et sanam doctrinam, et sive Clericus sit, vel Laicus tenetur emittere professionem fidei ex Pii IV. *const. incip. Sacrosanctae*.

4. Magister, correctionis causa, potest, et debet moderare, ac castigare discipulos ad Missas, Divina Officia, praedicationes etc. non solum hortari, sed et compellere, hinc.

5. Magister peccat, si profectum discipulorum in litteris, non sedulo promoveat, aut negligat; si stipendium majus justo exigat etc.

6. Magister, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum Magistrorum praejudicio, curat ad se trahere illos, qui sub alterius Magistri Gubernio diriguntur, graviter peccat, et ad restitutionem tenetur damni causati; peccat enim contra justitiam *Leo X. Const. 3. incip. Moerore.*

MAGISTRATUS. MAGNATES. Quicumque in alia dignitate civili constituti sunt, prae aliis Laicis debent Deo timorem aliquem specialem *Cap. 9, Audite ergo Reges ... Durissimum Judicium his, qui praesunt fiet ... Quanto enim magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.*

2. Post timorem erga Deum, cujus sunt creaturae, maximam debent reverentiam erga Ecclesiam, cujus sunt membra: *Et erunt, Reges nutritii tui, et Reginae nutrices tuae Isai. c. 49. v. 23.*

3. Magnates debent omni tempore, tum belli, tum pacis in speciali erga Reges fidelitate una cum suis Vassallis persistere, *Deum timete*, ait S. Petrus, *Regem honorificate*.

4. Magnates debent plebeis, providam, et beneficam dilectionem, et, siquam forte habeant apud Reges auctoritatem, eam omnem in populorum utilitatem insumant etc.

MALEDICTIO. MALEDICERE alicui serio, et ex animo, est ex genere suo peccatum mortale, quamvis ex inconsideratione actus esse possit veniale.

2. Hoc diabolicum vitium charitati repugnat, et pertinet ad peccatum odii, interdum etiam repugnat justitiae, et ad contumeliam pertinet. *S. Thom. q.* 76. *a.* 3.

Not. Confessarius pro hoc vitio tam communi compescendo, se inexorabilem ostendat, praecipue respectu Parentum erga filios, fratrumque erga fratres *etc*.

MALEFICIUM. MALEFICUS v. MAGIA.

MALITIA Moralis v. CONSCIENTIA.

MANDATUM. *Est contractus, quo negotium aliquod, alicui gratuito gerendum committitur, et suscipitur*: Qui comittit negotium, dicitur *Mandans*, seu *Mandator*: qui suscipit, dicitur *Mandatarius*.

2. Eaedem requiruntur conditiones in mandato, quae in locatione operarum, hoc solum discrimine, quod operarum locatio, non est gratuita, mandatum vero debet esse gratuitum.

3. Mandans debet habere auctoritatem circa rem, quam mandat: Mandatarius vero dominium operarum, quas promittit, quia nemo potest contractui exponere, nisi, quae ipsius sunt.

4. Illa solum possunt mandari, quae sunt honesta, et licita, non quae turpia, vel injusta; mandatum tunc non esset obligatorium, esto, juramento firmatum.

5. Mandans potest, re adhuc integra, revocare mandatum, non vero, incepta; et sic Mandatarius etc.

MANSUETUDO. *Est virtus temperans irrationabiles pas-*

siones irae , juxta mensuram rectae rationis . Pertinet ad Temperantiam .

MARITUS. Marito non licet occidere uxorem etiam si sit in adulterio deprehensa, et contraria sentia est propositio damnata ab Alex. VII. n. 19. Graviter peccat consumendo , et lapidando uxoris bona , sine ejus licentia : Maritus potest uxoris vota irritare , si usui Matrimonii praejudicant , educationi Prolis , administrationi familiae etc. Mortua uxore , usus fructus dotis decursus spectat ad maritum , proprietas vere ad filios . v. DOS .

2. Maritus graviter peccat uxorem cogens ad communicandum coram se , vel ad subeundum ardentis ferri , vel aquae ferventis judicium , in testimonium , quod non sit adultera .

3. Maritus a mortuis reviviscens , non tenetur amplius pristinae uxori , juxta illud *Cor.* 7., et si adhuc vellent esse conjuges , de novo foret contrahendum .

4. Maritus propriam necans uxorem praegnantem absque proditione , gaudet immunitate : occidens ad effectum aliam ducendi , et extractus ad formam Bullae , damnatur per decennium ad Triremes . v. *Mutua Conjug. officia* .

MARTYRIUM . *Est tollerantia voluntaria mortis , ex odio verae fidei , vel alterius Cristianae virtutis , inflictae* .

2. Ad verum martyrium requiritur : ex parte intellectus *vera fides* : ex parte voluntatis *pia voluntas* . Requiritur etiam , ut mors inferatur ita , ut vel mors reipsa sequatur , vel saltem posita fuerit causa sufficiens : Ut prosit ad salutem requiritur status gratiae , vel legitima dispositio v. *Lambertin. et alios* .

MATER praegnans in periculo vitae , aliter nequiens evitare , potest sumere medicamentum ad ipsius salutem , quamvis indirecte possit tendere ad foetus nondum animati interitum . *Comm. cum S. Thom.*

2. Non potest tamen praegnans in tali periculo ob tuendam sanitatem , sumere medicamenta ex se , et directe tendentia ad interitum foetus , quamvis nondum animati . *De Lugo , et alii* .

3. Cum foetus est animatus, non potest mater pro sua tuenda vita, licite sumere remedia, ex se tendentia ad prolis interitum jam animatae. Si autem haec remedia efficaciter tendunt ad Matris sanitatem, et foetus animati interitum, poterit probabilius licite ea sumere. *Sanchez de Matrim. disp.* 28. *n.* 18.

4. Si certo, vel probabili Medicorum judicio, Mater simul cum foetu animato, ante partum interitura putatur, et adhibitis remediis, spes sit, quod saltem Mater servari possit, tunc licite potest adhibere remedia, per se directa, et efficacia ad suam sanitatem, ut est venae sectio, purgativa etc., quamvis inde per accidens contingat enecari partum. Extante vero spe, quod proles possit viva in lucem prodire, abstinendum omnino a quocumque remedio, et mater postponere debet vitam corporalem aeternae saluti suae prolis.

5. Mater debet permittere sui sectionem, ut baptizetur puer, alias moriturus; secus vero, si ob id, esset occidenda Mater, ut cum multis ait *S. Thom. 3. p. sum. q.* 66. *a.* 11.

6. Mater praegnans, choreis, et saltationibus, vel insolito labori se dans, ob periculum deperitionis foetus, non eximitur a culpa gravi. *Multi cum S. Antonin.*

7. Mater tenetur alere filios primo triennio, et usque ad emancipationem Pater. An Mater teneatur propriam lactare prolem sub gravi culpa fere omnes affirmant Theologi, *excepta* justa causa.

8. Mater, et Nutrix, quae sine debita cauthela infantem tenellum, in lecto, in quo cubant, noctu tenent, sive suffocatio sequatur, sive non, ordinarie graviter peccant, propter periculum cui infantem exponunt. Excipiuntur tamen casus, necessitatis, impotentiae, paupertatis etc., dummodo cauthelas adhibeant, quae in sua manu sunt. *Comm.*

9. Mater usque ad triennium tenetur alere filium, et si alterius aluerit poterit a divite Patre expensas repetere, l. Negot. gestis. l. si quis a liberis.

MATERIA, et FORMA. Sacramentorum. Probabiliter cum Theologis teneo, Christum Sacramenti uniuscujusque, materiam specialem determinasse, simul et formam.

2. Mutatio materiae, et formae dupliciter potest contingere *substantialiter*, cum materia ex communi hominum judicio, non censetur eadem esse, ac ea, quam Christus instituit, et haec mutatio irritum reddit Sacramentum. *Accidentaliter*, quando materia, licet ab ea discrepet in parte, ejusdem tamen nominis est, et naturae. Haec non tollit Sacramentum, et sic de forma dicatur.

3. Mortaliter peccat, et Sacrilegii reus est; qui vel affectata negligentia, vel culpabili ignorantia, vel contemptu, materiam, et formam substantialiter mutat. Sic graviter peccat, qui in Sacramenti ritu, esto aliquid leve, contemptu mutat.

4. Sacramentorum materia, ut dictum est, alia est *remota*, alia *proxima*. Forma, alia est *absoluta*, quae absolutis pronunciatur verbis, ut: *Ego te baptizo*, alia *conditionalis*, quae posita conditione pronunciatur, ut. *Si non es batpizatus, ego te baptizo*. In Sacramentis Baptismi, et Poenitentiae licitum est uti materia dubia, extrema posita necessitate, in aliis non licet, urgente etiam causa. Formam conditionalem adhibere licet, cum vera adest necessitas. v. SACRAMENTUM.

MATRIMONIUM. Potest considerari, prout est *Contractus*, et prout est *Sacramentum*. Ut contractus defin. *Contractus naturalis, civilis, Ecclesiasticus, quo vir, et mulier, sibi mutuo legitime tradunt corpus suum ad generandam, et educandam prolem*: Quatenus Sacramentum, dicetur infra.

2. Dixi, *Contractus naturalis*. Matrimonium enim quatenus officium naturae, est conventio, qua vir, et mulier corporum suorum dominium, ad usum conjugalem sibi invicem tradunt; ex qua conventione, surgit jus exigendi debitum, sibi mutuo, et filiis providendi, et talis fuit con-

junctio Abram cum Agar, Jacob cum ancillis suis, populorumque Gentilium etc.

3. Dixi *contractus Civilis*, quia Matrimonium, quatenus conjunctio est facta secundum leges civiles, privilegiis gaudet, simul, et honoribus, quale est bonorum communitatis, jus dotis, successionis etc.

4. Dixi *Contractus Ecclesiasticus Christianus*, quia Matrimonium, quatenus conjunctio facta inter baptizatos, juxta regulas Ecclesiae, est verum novae legis Sacramentum. Auctor enim hujus Sacramenti, quatenus est naturalis contractus, est Deus ipse, qui adduxit Hevam ad Adam, eamque huic dedit sociam. Auctor contractus civilis, est legitimus legislator, unde varia sunt Jura Civilia nuptiarum, secundum varias leges, et consuetudines, Auctor vero Matrimonii, quatenus Sacramentum est Christus Jesus, ut enim Matrimonium ad originalem perfectionem reduceret, vim gratiae conferendae ei superaddit, qua gratia conjuges sanctificarentur, et filii nascerentur ad augendam Ecclesiam, Patriamque Coelestem replendam.

5. Si ergo Matrimonium est contractus naturalis, dicendum, quod quidquid impedit contractum naturalem, impedit et Matrimonium, sicut etiam, quod tollit materiam Matrimonii, scilicet contractum naturalem, tollit Matrimonium. Ergo quidquid impedit consensum, tollit Matrimonium, quia consensus est de intrinseca ratione contractus. Quidquid erge tollit vel rationem, vel libertatem, impedit Matrimonium, quia consensus reperiri non potest, ubi non est ratio, et libertas. Ergo amentia, pueritia, ignorantia, error, fraus, dolus, circa substantiam rei, quae est materia contractus, passio absorbens usum rationis, vis, metus, impediunt Matrimonium, quia priora impediunt cognitionem, posteriora libertatem. Sic, amentes, phrenetici, pueri, decepti errore, dolo, fraude, circa substantiam personae, excaecati passione non valide contrahunt, quia agunt sine cognitione: coacti vi, metu cadente in virum

constantem, non valide contrahunt, quia agunt sine plena libertate.

6. Si Matrimonium est contractus civilis; Dicendum, quod in eo servari debent omnes solemnitates jure civili requisitae, quia oportet, ut contrahentes legibus Reipublicae subsint, et non dominentur. Si ergo desint aliquae ex illis solemnitatibus, matrimonium erit vel illicitum, vel nullum si omissio sit irritans, illicitum, si tantum impediens. Videndum propterea, quid illicitum reddat Matrimonium, juxta Jus civile, vel scriptum, vel traditum, quia non aliunde, quam ex jure scripto, vel ex consuetudine, potest addisci, quid dirimat Matrimonium v. IMPEDIMENTA.

7. Matrimonium non solum est contractus naturalis, et civilis, sed etiam Ecclesiasticus, proindeque Sacramentum. Ecclesia est in possessione septem Sacramentorum proprie dictorum, quorum Auctor, et institutor fuit Christus Dominus. Non est ideo ratio, cur Matrimonium a reliquis secernatur; et Patres indicant gratiam eo Sacramento contineri, et conferri, cum dicunt Primo, Christum venisse ad Nuptias, ut eas constitueret, benediceret, et sanctificaret: uti enim, dum baptizatus est, vim regenerandi contulit aquis, ita dum Nuptiis interfuit in Cana Galileae, vim spiritualem sanctificandi contulit nuptiis. 2. Dicunt nuptias sanctificari per verbum Sacerdotis, uti sanctificantur baptisma et Ordo. 3. Asserunt fidelium, infideliumque nuptias distingui sanctitate Sacramenti. Non est ergo res mere naturalis, et politica, sed signum rei Sacrae, seu signum gratiae sanctificantis legitime conjugatos. Haec praemittenda putavi, ad quasdam, quae serpunt tollendas ambages, quibus non pauci, hac, illacque circumferetur. Nunc.

8. Matrimonium, ut est dictum fuit a Deo institutum in Paradiso Terrestri, in ratione contractus indissolubilis, et in ordine ad officium naturae, et legitimam humani generis propagationem. In ratione autem Sacramenti, hoc est signi efficacis digne recipientibus, gratiam conferentis ex ope-

re operato. fuit a Christo Domino institutum, cum dixit. *Quod Deus conjunxit etc.*

9. Matrimonium dividitur in *legitimum*; *Ratum*: *et Consummatum*. Legitimum illud est, quod legitimo consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas, contrahitur, juxta leges, Statuta etc., et tale dicitur etiam inter non baptizatos, cum abstrahat a ratione Sacramenti. *Ratum* illud est, quod non solum legitimo modo contrahitur, sed ratio accedit Sacramenti, cujus vi dicitur ratum, quia magis indissolubile, cum tamen contractum ab Infidelibus, sit dissolubile per conversionem alterius ad fidem. *Consummatum*, illud est, quod accedente mutua, actuali corporum traditione, et carnis copulatione, completur, et consummatur, et id non solum in ratione contractus legitimi, sed etiam in ratione Sacramenti, ut idcirco majorem, et quasi ultimam ex Divina Institutione stabilitatem acquirat. Ex hac doctrina surgit, quod in lege veteri, sicut et nunc, matrimonia inter infideles, quamvis vera, legitima, valida in ratione contractus, non fuerunt tamen, nec sunt Sacramentum; cum enim Baptismus sit janua Sacramentorum, dicendum, quod absque baptismo, nullus capax est aliorum.

10. Ex se Matrimonium honestum est, ac licitum, quia Christus illud adprobavit. *Joan.* 2. *v.* 12.

11. Matrimonii Unitas in hoc sita est, quod Maritus uxorem unam, et uxor Maritum unum habeat. Matrimonium initum post Conjugis mortem *Polygamia est*, sed successiva; vivente conjuge, *simultanea*. Haec jure naturali est prohibita, quia finibus primariis Matrimonii non consonat, et in lege Evang. pluralitas prohibetur. Polygamia vero successiva licita est ex *Ap. Cor.* 1. *c.* 7. *v.* 39. v. BIGAMIA.

12. Celebris est controversia inter DD. An Matrimonium, et Sacramentum ita unum sint, ut distingui nequeant? Magni nominis Theologi, affirmant: negant alii. Cum rationes utrinque validae sunt, Arbiter Casuum utramque sequi potest sententiam. Probabilis enim est, et opinio il-

la, quae docet rationem Sacramenti, posse valide, etsi non licite, separari a ratione contractus, saltem per intentionem conficiendi contractum, et non Sacramentum, ut inter multos tenet *Cajetanus*, *Durandus*, *et alii*; immo probabiliorem censet *Henno tract. de Matrim.*

13. De materia nunc, et forma Sacramenti hujus agendum. Ex innumeris duae opiniones locum Principem habent. *Prima* materiam constituit remotam in contrahentium corpora, proximam in ipso conjugali actu, formam vero in mutuo contrahentium consensu verbis, vel nutibus expresso, qui corporum traditionem determinat ad esse firmum, et ratum contractum. *Secunda* est illa, quae Matrimonium a Sacramento sejungit, et ipsius materiam in manus impositione: formam in Sacerdotis benedictione constituit. Neutram haud aspernandam.

14. Minister hujus Sacramenti. Sunt ipsimet contrahentes, ut cum *S. Thom.* sentiunt comm. omnes. Ipsi enim sunt, qui formam proferunt, nempe verba, vel signa multum exprimentia contractum. Si enim Minister esset Parochus, Matrimonia Clandestina ante *Trident.* non fuissent Sacramenta, nec de facto praesente Parocho dissentiente, vel contradicente contracta, quia deesset Minister, cum intentione conficiendi Sacramentum. Ideo.

15. Parochus est Minister improprie, cujus ministerium importat solam solemnitatem in faciem Ecclesiae, quae ex Decreto *Trid.*, est conditio necessaria, ut valeat Sacramentum. Praxis est, hujus celebrationem solemnitatis pertinere ad Parochum mulieris. In administratione Sacramenti Matrim. Si mulier est vidua, non solum debet omitti Benedictio Nuptiarum, sed Missa quoque pro sponso, et sponsa. S. R. C. in Aquen. 3. Martii 1761. *dub.* 4.

16. Matrimonii effectus sunt: Gratia secunda, sive nova accessio gratiae sanctificantis, qua fit, ut conjugale officium caste, et moderate impleatur: ut vir uxorem diligat, et matrimonii onera sustineantur etc.

17. Impedimenta Matrimonii, sicut sponsalia, publica-

tiones etc. v. *suis locis*. De Matrimonio eredenda v. MANTIS. II. *n.* 9.

18. Sed quid sentiendum de illis legibus civilibus, quae indeterminate irritant matrimonia inita contra consensum Parentum?

Resp. Juxta insignes Theologos, tale Matrimonium est validum, quatenus Sacramentum, quia *inquiunt*, ad Jus civile non spectat attingere, quae Sacramentum componunt, sed solum ea, quae extra illius naturam sunt. Unde *Trid.* anathema pronunciat contra eos, qui dixerint, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta. *sess.* 14. *c.* 4.; vel qui dixerint Causas Matrimoniales spectare ad Judices Ecclesiasticos, nihil dicens de Impedimentis, quae a Principibus Saecularibus statui potuissent, vel possent.

19. Juxta Jurisconsultos, et aliquos insignes Theologos, illud Matrimonium invalidum est, quatenus Sacramentum est, *inquiunt* enim, non potest esse Sacramentum sine materia, materia autem Sacramenti Matrimonii, ut ipsi putant, non est contractus naturalis acceptatus ab Ecclesia, sed contractus vere civilis, qualis non est ille, qui fit contra leges Principum: ergo si Matrimonium careat debita materia, non poterit esse validum, quatenus est Sacramentum.

20. Ego vero, *omnium bona venia*, dicerem, tutiorem partem esse sequendam hasce inter embages. Tutius autem est declarare praedictum Matrimonium validum, quam nullum in ratione Sacramenti, quia tutius est, ut Matrimonium dubium declaretur validum, quam si illud habeatur, ut nullum; nam si validum declaras: fides data, et acceptata a conjugatis. quae jure naturali est inviolabilis, illaesa conservatur; insuper remedium affertur incontinentiae utriusque partis: Proli, vel natae, vel nasciturae providetur: renovando consensum, et supplendo id omne, quod fuerat omissum; matrimonium, quod, ut dubium habebatur, certissimum fit, et indubitatum,

21. E contra, si dubium illud Matrimonium dicatur invalidum, exponitur uterque conjux. 1. Periculo frangendi

fidem datam, et acceptatam. 2. Periculo incontinentiae. 3. Si permittatur ad alias convolare nuptias, dissolvitur, quod Deus voluit indissolubile, separatur, quod Deus conjunxit, et exponitur utraque pars perpetuo adulterio, quae forte ligata per prius Matrimonium, contraxit secundum. 4. Satius est prius Matrimonium, tametsi dubium, perseverare, et emendare quod peccatum est. De Matrimonio *vulg. di Coscienza*. Ab Ordinario est petenda licentia, qui, positis plausibilibus circumstantiis, imponit Parocho, ut coniungat privatim, et in privato signet libello, quousque si opportunitas erit, benedicat in faciem Ecclesiae, matrimoniumque publicum reddat. Non ausim asserere, talia matrimonia redolere concubinato, maxime accedente Ecclesiae indulgentia, atque consensu.

MEDICINA, MEDICINAE INVENTIO, talis fuisse creditur. Mos erat apud Assyrios, et Egyptios, et etiam apud Hispanos, collocandi desperatos infirmos ante januam, ut a transeuntibus visi, de qualitatibus morbi rogarentur. Ita qui tulerat, vel depulerat similem morbum, prodito remedio, laborantem juvabat, et morbi remedium fecit paulatim scientiam. Ego autem crediderim Protoplastum, aliosque primos parentes calluisse perfectissimam scientiam naturalis Philosophiae, et per consequens utriusque, tam praeservativam, quam curativam medicinam *S. Thom.* 1. *q.* 94. *c.* 7. Est hoc malum in Republica, ut Medicis, et Advocatis occidendi, data videatur auctoritas. Soli Medico (ait Philemon) et Advocato licet occidere sine sui periculo. Hinc illa monumenti infelicis inscriptio. Turba Medicorum me peremit.

MEDICUS. Tenetur habere sufficientem scientiam, et peritiam: Impendere debitam diligentiam ad curandos infirmos; Adhibere tutiora remedia, et securiora ad sanitatem infirmi: Statim infirmum monere, vel per se, vel per alios de periculo. Sic praecepit S. Pius V. decretum innovans Later. Concilii; addens, ne Medici ultra diem tertium visitent infirmum, si de illius confessione non constet, et qui

C 2

secus fecerit, per SS. Canones ab ingressu Ecclesiae arcetur, donec satisfecerit etc.

2. Medicus tenetur ex praecepto charitatis curare pauperes infirmos: Medicus Monialium non debet esse minor an. Quinquaginta, ubi Medicorum penuria non est. Medicus, sive Physicus, sive Chirurgus, non potest inire societatem cum Aromatariis etc.

MENDACIUM. *Est locutio contra mentem*, cum scilicet aliud loquimur exterius, aliud interius sentimus. *SS. Aug. et Thom.*

2. Ratione finis, et effectus dividitur in *Jocosum*, *Officiosum*, *et Perniciosum*. Jocosum illud est, quod fit voluptatis causa, absque alterius nocumento: Officiosum, quod fit causa utilitatis, simulque nemini nocet, et horum utrumque est ex genere suo veniale. Perniciosum vero illud est, quo alicui injuste nocetur, sive alteri prosit, sive non. Ex se mortale est, et *per accidens*, ob materiae tenuitatem, veniale.

3. Mendacium proprie dictum, nullo casu, aut fine potest esse licitum, nequidem ad salvandam hominis vitam, ut expresse docet *S. Aug. in Enchir. c.* 22., sed nec etiam pro hominis spirituali salute. *S. Aug. l. contr. Mendac. c.* 26. Hoc in loco attente legatur S. Doctor, ad multas tollendas difficultates.

MERCIMONIUM exercens super eleemosynis Missarum: Laici Excommunicationis; Clerici, et Sacerdotes Suspensionis poenam incurrunt. *Bened. XIV. T. I. Const.* 22. *incip. Quanta cura.*

MERETRIX. *Est mulier, quae multorum se exponit libidini*. Non autem talis est, quae uni, vel duobus satisfacit.

2. Principes, Magistratus possunt sine peccato tolerare in suis Ditionibus has saevas pestes, ad majora evitanda mala *S. Thom.* 2. 2. *q.* 19. *a.* 11. *S. Bonavent. et Antonin.*

3. Excusantur a peccato Meretricibus locantes domos: si illae ad tale scelus sint dispositae: si a Republica toleren-

tur in ea Civitatis parte, in qua ipsis elocatur domus, et peccatum elocatori displiceat etc.

4. Publicae meretrices possunt ab honestis locis expelli.

5. Meretrix, potest de lucro accepto, tamquam vere proprio facere eleemosynam, donationem etc., quia tale lucrum, licet turpiter, et illicite acquiratur, patrato tamen scelere, licite acceptatur, et retinetur. Si autem acceperit tale lucrum a non valentibus alienare, tenetur absolute restituere.

6. Meritrix absolvi non potest, nisi vere, suspectum consortium, et meretricium deserat. Hinc confessarius, antequam eam absolvat, interroget, an adhuc sit in actuali meretricio, an domum suspectam deseruerit, omnemque dimiserit occasionem: An relapsa sit post conceptum dolorem, et propositum: A quo tempore non amplius peccaverit etc., et tunc si dispositam cognoverit, absolvere debebit. Interroganda insuper est: an, et quoties cum Religiosis peccaverit, cum consanguineis, et affinibus: an modo praepostero etc.: an veneficia amatoria, aut alias adhibuerit superstitiones: an abortum procuraverit; an annuam Confessionem omiserit, aut sacrilege fecerit; et si invenerit innodatam aliquo excommunicationis vinculo, Episcopo reservato, aut cum causa ad S. Inquisitionis Tribunal spectante, ad Episcopum mittat, aut ad S. Inquisitionem etc.

MERITUM. *Est actus laudabilis exigens aliquo modo collationem proemii. S. Thom.*

2. Duplex est, De *Condigno* vitae eternae, quod habet aequalitatem cum proemio, ait Apost. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus etc.*

3. De *Congruo*, quis dicitur mereri, cui, licet desit aequalitas cum proemio, congruum tamen est, ex liberalitate remunerantis, ut conferatur ipsi aliquod proemium.

4. Opera, quibus homo mereri potest: Alia sunt opera viva, peracta scilicet in statu gratiae: Alia opera mortificata, facta quidem in statu gratiae, sed per culpam gravem impediuntur, ne suum obtineant valorem promerendi vitam aeternam. Alia mortua, quae fiunt in statu pecca-

ti, et ut talia, numquam reviscunt in ordine ad meritum vitae aeternae. Mortificata, obice sublato, reviviscunt: Mortua, esto non prosint, sunt tamen veluti dispositiones ad Div. flectendam Misericordiam.

5. Justus de Condigno mereri potest incrementum gratiae habitualis *Trid. sess.* 6. *can.* 31., non vero mereri finalem perseverantiam, quia nulla in script extat promissio, bene autem potest de congruo. *Haec diffusius in Epit. Theolog. Dogmat.*

METUS *Est instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio*. Alius est ab intriuseco, qui nobis ab aliqua ratione suggeritur, ut cum timeo cibum mihi nocendum etc. Alius venit ab extrinseco, qualis est metus mortis a latrone incussus etc.

2. Metus gravis solet dici, metus cadens in virum constantem, qui ratione ductus minus malum sustinet, ut majus evitet, ut, mortem esto praesentem, quam damnationem, etsi futuram. Inconstans ille est, qui levi imaginatione ductus minus malum praesens renuit sustinere, ut majus futurum malum fugiat. Ideo.

3. Metus gravis cadens in virum constantem, numquam excusat totaliter a violatione praecepti, tum negativi, tum affirmativi Juris naturalis; seu, quilibet homo tenetur, etiam cum dispendio vitae, observare praeceptum tum affirmativum, tum negativum juris naturae. *Ex Script. Patribus. Jur. Can. etc.* Praecepta enim negativa obligant semper, et ad semper. Sic graviter peccaret violans praeceptum negativum Decalogi, metu gravi, mortis, exilii; blasphemando, jurando etc. Sic peccaret Sacerdos, qui metu mortis etc. violaret praecepta positiva Divina, vel Ecclesiastica, quae secum important violationem juris naturalis negativi: ut, Sacerdos, qui revelat Confessionem, celebrat Missam ad Sortilegium, dat indigno absolutionem etc. Sic dicatur de praeceptis affirmativis juris naturae, semper, sed non pro semper obligantibus. Cum proprio enim vitae dispendio miles tenetur stationem difficilem non deserere: Pastor Ecclesiast.

tenetur suis succurrere ovibus. Medicus conductus non discedere ab Urbe tempore pestis: ex motivo charitatis, si non sit conductus etc.

4. Metus vero gravis, mortis, exilii etc. excusat ab observatione praecepti positivi Ecclesiastici, vel civilis, modo ejus violatio non importet praejudicium bono universali *Comm. cum S. Thom.* 2. 2. *q.* 137. *a.* 4. Sic non peccaret, qui metu mortis etc. manducaret carnes diebus prohibitis, non jejunaret, communicaret civiliter cum haereticis. Sic Clericus, qui metu mortis, non recitaret officium Divinum, non deferret vestem clericalem, coronam etc. isti non peccarent, quia haec praecepta non ligant cum vitae periculo etc.

MINISTER Sacramentorum. Unus est *Primarius*, cujus nomine Sacramenta administrantur, et est Christus, ut homo, propter unionem hypostaticam cum verbo Divino, de quo dicitur *Joan.* 1. *Hic est*, *qui baptizat*. Alter est *Secundarius*, qui nomine Christi potest valide conficere Sacramentum. Hic,

2. Duplex est. *Ordinarius*, qui secundum legem a Christo praescriptam potest valide conficere Sacramenta. *Extraordinarius*, qui praeter hanc Christi legem ordinariam, ad conficienda, et dispensanda Sacramenta committi potest.

3. Solus homo viator ratione utens est Minister ordinarius Sacramentorum. Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem; et Matrimonio propter specialem rationem in genere centractus, in quo situm est Sacramentum, illi soli sunt Sacramentorum Ministri, qui rite in Ecclesia ad hoc ordinati sunt, ut definit *Trid. sess.* 7. *can.* 10.

4. Ut Sacramentum legitime perficiatur, tria requiruntur in Ministro. *Intentio*. *Fides*. *Probitas*. De intentione v. INTENTIO; addo solum, quod haec debet esse interna, quia *Trid. sess.* 14. *c.* 6. requirit, ut Sacerdos ad validam absolutionem, *habeat animum serio agendi*, *et vere absolvendi*: en intentio interna, et externa: debet enim intendere, et facere, quod facit Ecclesia. Nunc.

5. *De fide, et probitate* requisitis ad valide conficienda Sacramenta. Conditiones istae non requiruntur: nam Ecclesia rata habuit Sacramenta ab impiis, et haereticis collata, modo ritum a Christo praescriptum observaverint. *Trid. sess. 7. can. 4. et 12. de Baptis.* Minister operatur virtute, et Divina *auctoritate, quae Ministro non aufert potestatem, ob ejus haeresim, aut peccatum.*

6. Qui in statu gravis peccati conficit, vel dispensat Sacramenta, peccat, et quidem mortaliter, si conficiat, aut dispenset ex officio *S. Thom. 3. p. q.* 64 *a* 6. Dixi ex officio, *quia* addit S. Doctor *in articulo mortis, non peccaret baptizando in casu, in quo etiam posset Laicus baptizare*: patet enim, quod non exhibet se, ut ministrum Ecclesiae sed subvenit necessitatem patienti.

7. Numquam licet *absque necessitate*, Sacramenta petere ab improbo Ministro, quia lex charitatis postulat, ut non detur malo Sacerdoti occasio ulterius peccandi.

8. Utrum liceat Sacramenta administrare petenti. Resp. Si peccator sit notorius, nullatenus licet ei Sacramenta administrare, sive publice petat, sive privatim: Si est occultus; petens publice, debet ei fieri, quod petit, si absque infamia repelli non possit; si occulte petat non debet administrari, ut docet *Rituale Romanum*.

MIRACULUM proprie, et stricte sumptum def. a *D. Thom. 1. p. q. 110. art. 4. Id quod fit praeter ordinem totius naturae creatae.*

2. Ad verum miraculum requiritur: Quod sit, et fiat supra naturam, idest praeter ordinem totius naturae; ut de Virga Moysis in colubrum mutata, et de Asina ad Balaam loquente: Quod appareat, illud ex Deo, non ex arte contingere, neque ex Diabulo, quia mirabilia, quae arte, applicando activa passivis, contingunt, seu ope Daemonis efficiuntur, quamvis humanum captum superent, non sunt tamen vere, et proprie miracula: Quod fiat, non vi verborum, sed hominis merito id contingat; unde transubstantiatio panis in Corpus Christi per Sacerdotem, vi verborum causa-

ta, non est miraculum, prout requiritur ad Beatificationem, vel Canonizationem: Quod fiat, vel in confirmationem fidei, vel in testimonium Sanctitatis alicujus. Hisce requisitis, quintum addi solet, nempe, quod fiat praeter consuetum, et ordinarium modum causandi.

3. Miraculorum triplex est genus. 1. Quoad *substantiam* facti quando nempe substantia rei factae est supra vires naturae, ut, quod duae naturae uniantur, et in una subsistant persona, ut Incarnatio Verbi, foecunditas, et partus gloriosae Virginis Mariae etc. 2. Quoad *subiectum*. cum nempe: aliquid est supra vires naturae quoad subiectum ejus, in quo fit: ut resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum etc. 3. Quoad modum faciendi, idest quando tale quid etiam natura ipsa facere potest, sed non illo modo, ut cum quis instantanee, divina virtute, sanatus a febre, nullis adhibitis medicamentis, nulla eveniente chrisi.

4. Miracula primi generis seu Ordinis, vel gradus non est necesse, quod fiant in istanti. Ut habeantur vera miracula, sufficit, quod a solo Deo procedant. Miracula secundi generis, seu Ordinis, non est necesse, ut fiant in instanti, ut patet ex Sacra Script. de Filio Viduae a morte excitato ab Elia etc. Miracula tertii generis, necesse est, ut fiant in instanti, ita ut infirmus sanetur, statim ac Sanctus sit invocatus; quod si non eveniat in istanti, Ecclesia in Causis Beatificationis, et Canonizationis non approbat pro miraculo, sed pro gratia.

5. Miraculum, quod fit in instanti, differt a gratia, quae fit successive. Hinc gratia dicitur, Beneficium procedens ex speciali Dei providentia, etiam in linea naturali, a Deo, concurrente simul physice causa secunda successive factum petenti, sed citius, quam si, vel ipse Deus, vel Dei Servus non fuisset vocatus. v. *Mattheucci in Practica Theolog. Canon. T.* 3. *c.* 1. *n.* 67.

MISERICORDIA. *Est virtus proxime ex charitate trahens originem*, ea quae inter virtutes proximum respicientes tenet principatum, et dicitur: *Alienae miseriae in corde no-*

stro compassio. qua, si possimus, subvenire compellimur. Huic virtuti per excessum opponitur nimia indulgentia, per defectum crudelitas.

2. Opera Misericordiae, alia sunt corporalia, et septem enumerantur: Esurientes pascere: Sitientibus potum praebere: Nudos operire: Captivos redimere: Egenos visitare: Peregrinos hospites recipere: mortuos sepelire.

3. Spiritualia septem sunt. Peccatores corrigere: Ignorantes docere: Dubitantibus recta consulere: Offensas parcere: moestos consolari: Improborum injurias patienter ferre: pro vivis orare, et pro defunctis.

MISSA. Si nomen spectatur, idem est, ac *missio*, seu *dimissio*, eo quod Diaconus, bis per hanc coeremoniam, alta voce clamaret. *Ite. Missa est*, et id post Evangelium gentibus, et Cathecumenis annuncians, ut abirent, eo quod eis non liceret Sacrificio assistere. Rursus in fine Sacrificii, dicebat populo: *Ite Missa est*, et cuique in sua abire permittebatur: Si res spectatur: est *Incruentum Sacrificium, quo cruentum sacrificium in Cruce peractum, incruentè repraesentatur, et peragitur.* Hanc caeremoniam Graeci vocant *Lyturgiam, Mistagogiam, Sinaxim, Teletem, Caeremoniam etc.* Latini *Collectam Dominicam, Agendam, Communionem, oblationem etc.*

2. Missa si nomen spectetur, coepit esse in usu in Ecclesia a tertio, et quarto circiter saeculo: ut habetur ex Epist. *Cornelii ad Lupicinum*, et Sic *SS. Ambros. et August.*

3. Si res spectatur, semper in Ecclesia servata est a nocte Coenae, usque ad nos: Christus enim tunc accepit panem, et gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis: Similiter, et Calicem, et benedixit, et dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod ergo jussit Christus fieri, hoc servarunt adamussim Discipuli, qui erant *perseverantes in oratione, et fractione panis*. Apostoli usum illum tradiderunt successoribus suis, et isti aliis, et sic usque ad nos pervenit sacra illa Caeremonia, in qua jussu, et

auctoritate Christi, panis, et vinum consecrantur, quam caeremoniam nos Missam appellamus.

4. Missa ratione suarum partium, alia est *Cathecumenorum* alia *Fidelium*. Missa Cathecumenorum erat illa pars, in qua fiebant instructiones, quibus et Gentiles, et Cathecumeni assistebant. *Conc. Chartag. I V. can.* 84. Missa Christianorum erat ea pars Officii, in quo, post Instructionem orabatur, et consecrabatur Corpus Christi, ut ait *S. Aug. serm.* 49. *c.* 8. *Tertull. et alii*.

5. Missa ratione Consecrationis, alia est *Praesanctificatorum*, alia *Sanctificatorum*, quae illa est, in qua panis, et vinum consecrantur, ut fit modo in Ecclesia Latina, in ea caeremonia, quae vere *Missa* dicitur. Missa *Praesanctificatorum* ea est, in qua non consecrantur panis, et vinum, sed Panis die Sabbato, aut Dominico praesanctificatus, per singulos dies hebdomadae, Deo offertur eo modo; quo in die Parasceves hostia die Coenae consecrata Deo offertur. Nam juxta ritum Ecclesiae Graecae, toto tempore quadragesimae, non consecrabantur Panis, et Vinum, nisi die Sabati, aut Dominico, aliis vero diebus hostia jam consecrata Deo offerebatur. Tempus enim illud luctui, et penitentiae consecratum, non videbatur apte consentire cum eo gaudio, quo decet nos perfundi, dum Sacra celebramus Mysteria.

6. Missa ratione caeremoniarum alia est *Sicca*, alia non. *Sicca* ea est, in qua nec panis, nec vinum offertur, sed peraguntur omnes ritus, omnes caeremoniae, non secus ac, si revera Missa celebraretur. Id factum legimus in Navibus, ubi ob periculum, ne sanguis consecratus effundatur, missa sine consecratione celebrabatur, ideoque Missa *Nautica* vocabatur, et non solum in Navibus, sed etiam aliquando in privatis domibus, pro aegrotis, qui ad Ecclesiam permeare nequibant: immo aliquando haec Missa celebrabatur Vespere in Ecclesia, cum post Vesperas sepeliebantur mortui. Hanc Missam, alii admittunt, improbant alii.

7. Missa non sicca ea est, in qua panis, et vinum consecrantur; et alia est *Solemnis*, alia *Privata*. Solemnis, quam

hodie appellamus *Conventualem*, *Canonicam*, *Capitularem etc.*, illa proprie est, quae cum Cantu, et solemni Caeremoniarum apparatu, Ministris et Clero assistentibus, celebrari consuevit. Missa Privata, ea est, quae a solo Sacerdote, uno tantum ministrante, peragitur.

8. Missa, sive privata, sive solemnis, alia est, quae dicitur Parochialis, alia quae non. Parochialis ea est, quae festivis, et dominicis diebus, hora designata ab Episcopo, celebratur, et in ea fiunt instructiones ad populum, aqua benedicta aspergitur, Panis benedictus etc. Non Parochialis postea, ea est, in qua praedictae caeremoniae non exercentur.

9. Nunc de obligatione audiendi Missam. Praecipitur singulis fidelibus diebus Dominicis, et Festis, sub culpa gravi, ut Missam integram audiant *Trid. sess.* 22. *can.* 1. Siquidem Missa est praecipuus totius Cristianae Religionis cultus, quo Deo offertur, quidquid habuit lex naturalis simplicius, Lex Mosaica augustius, Lex Evangel. sanctius, Caelum ipsum sublimius, Christus scilicet, quem Prophetae, et Patriarchae praenunciaverunt natum, conversantem, patientem, Crucifixum, mortuum, et a mortuis suscitatum praedicarunt Apostoli, quem in coelum ascendentem, ut Regem agnoverunt Angeli: Christus, inquam Auctor naturae creatae, Redemptor naturae lapsae, et glorificator naturae reparatae. Haec oblatio, ut canit Ecclesia, fugat scelera, culpas lavat, reddit innocentiam lapsis, et moestis laetitiam, fugat odia, concordiam parat, et curvat Imperia. Hinc merito praecipit Ecclesia, ut fideles omnes diebus festis Missae assistant, in qua tam Sancta, et insignis Hostia offertur.

10. Non est obligatio audiendi Missam diebus ferialibus, neque pariter in die Cinerum, Defunctorum, diebus Rogationum, quia ut festivi non proponuntur ab Ecclesia. Sicut etiam in die Natalis Christi, sufficit, ut Fideles uni assistant Missae.

11. Peccant ideo, nec praecepto audiendi Missam satisfaciunt, qui Missam integram non audiunt, vel varias Missae

partes a diversis Sacerdotibus audiunt: qui dum commode possent Ecclesiam ingredi aut extra Ecclesiam manent, aut ita longe a sacrificante distant, ut nihil, vel videre, vel sentire possint etc.

12. Ad satisfaciendum praecepto huic, debent ei, et modeste quoad corpus, et devote quoad animam assistere, et habere intentionem exercendi actum Religiosum. *Trid. sess.* 22. Non ergo satisfacit, immo peccat, qui dum Sacrum peragitur, dormit, confabulatur, et immodeste sistit: qui ridiculam affectantes superbiam, stant, aut, sedent in Ecclesia, dum devota plebs humilis Deum adorat, et genibus flexis, iram flectere nititur. Culpandae mulieres illae, quae circumornatae, ut similitudo Templi, altis sedilibus affectant eminere, ut intuentium oculos ad se attrahant, cultumque soli Deo debitum sibi arrogent. Illi culpandi, qui, sola exteriori modestia contenti, nullo interioris mentis affectu in Deum moventur.

13. Nullus est Christianus, sive justus, sive peccator, qui ab audiendo *Sacro* possit se eximere, cum Ecclesia jubet ei assistere. Nam justi, quantumvis perfecti debent diebus festivis Missae Sacrificio interesse. *Trid.* nihil enim potest esse efficacius ad conservandam, et augendam gratiam justorum. Fideles peccatores debent *Sacro* interesse, ut a peccatorum pondere liberentur. *Trid.* enim universam representans Ecclesiam, peccatores, non a Missa arcet, sed pluribus allicit motivis. *sess.* 22. *c.* 2. Astiterunt enim Passioni Christi, Maria Mater Jesu, Maria Cleophe, Maria Magdalene, Joannes aliique justi; astiterunt, et latrones, astiterunt Centurio, et milites, et quasi raptim interfuerunt Judaei. Assistant ergo Sacrificio missae, justi, ut in gratia crescant; et in ea perseverent, assistant peccatores, ut a peccatis convertantur, et eorum indulgentiam consequantur etc.

14. Praeter impotentiam, vel physicam, vel moralem, praeter damnum, vel in anima, vel in corpore, vel in honore, vel in bonis fortunae, nulla est alia causa legitima, quae excuset ab auditione Missae; aliae quippe eam;

sae inventae sunt, ad excusandas excusationes in peccatis.

15. Nunc de modo audiendi Missam, et quidem *Primus* modus audiendi Missam fructuose est Communio Spiritualis, qua optamus uniri Christo spiritualiter, eosdemque elicimus actus interiores, quos solemus elicere, dum Christum Sacramentaliter sumimus. Modum istum proponit *Trid. sess.* 22. *c.* 6. *Secundus* modus audiendi Missam fructuose est, Caeremoniarum, quae in Missa peraguntur, attenta consideratio, seria meditatio, et pia erga sacros illes ritus reverentia. *Trid. ib. Tertius* modus est, quod fidelis quilibet Sacerdoti legenti, et oranti se conformet, recitando scilicet, quas recitat, preces, et legendo documenta, quae legit, animumque devote his omnibus applicando. *Quartus* modus est, ut fidelis quilibet Sacerdotem, ut Christi personam gerentem, uti revera gerit, consideret, eique devoto uniatur affectu. Christus ab initio Missae usque ad Epistolam apparet, ut *poenitens* pro nobis petens a Patre spiritum poenitentiae. Ab Epistola usque ad Oblationem apparet, ut *Doctor* docens necessaria ad salutem. Ab oblatione usque ad Consecrationem apparet, ut *Sacerdos*; tunc enim offert se Patri in salutem omnium. A Consecratione, usque ad *Pater noster* apparet, ut *victima*, tunc enim exhibetur Patri, ut *Agnus occisus*. A *Pater* usque ad Communionem apparet, ut *cibus, et potus fidelium*, dat enim suam carnem in cibum, et sanguinem in potum. A *communione* usque ad finem Missae apparet, ut *Remedium*, tunc enim reali, vel spirituali oommunione, fidelis quilibet reperit in Christo efficacissimum contra singulas suas infirmitates remedium.

16. Pro coronide. *De Missa Parochiali*. Missa Parochialis illa est, quae celebratur in Ecclesia Parochiali, in qua fiunt preces speciales a Parocho, et a populo, et instructiones circa mysteria Religionis, fiunt Processiones, Panis benedictus distribuitur, annunciantur festa, jejunia etc.

17. Consuetudo audiendi Missam Parochialem est antiqui-

sima, et constanter in Ecclesia observata. De primis Fidelibus dicit Scriptura. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus Act.* 2. 42. Sic habent *Concilia*. *PP. Trid.* Haec consuetudo multas affert utilitates fidelibus. Nam haec Parochialis Missa considerari potest 1. Ratione rei oblatae. 2. Ratione oblationis. 3. Ratione precum. 4. Ratione instructionis. 5. Ratione loci. Ratione *rei oblatae* Missa privata, et Parochialis ejusdem sunt valoris, quia in utraque offertur Christus. Ratione *oblationis* Missa Parochialis utilior est, quia specialiter offertur pro Parochianis. Ratione *praecum* est etiam utilior, quia praeter preces, quae fiunt in Missa privata, simul et aliae fiunt, nomine totius Parochiae, et cum cunctis fidelibus. Ratione *instructionis*, in Missa Parochiali explicantur Sacra Eloquia quod non fit in aliis Missis privatis. Ratione *loci*. Etsi Missa celebrata in quacumque Ecclesia sit maximi valoris, tamen utilius videtur fidelibus eam audire in propria Parochia. Ibi enim Sacro baptismate nascimur, ibi roboramur Confirmatione, Eucharistia in Paschate nutrimur, a Parocho Viaticum, Extremamque Unctionem accipimus. Matrimonio conjungimur, et in Parochia humati resurrectionem expectamus. Aequum igitur est, ut in Parochia diebus Dominicis, atque festivis vota nostra offeramus.

18. Consuetudo audiendi Missam Parochialem, potest vim strictae legis habere, si Ecclesiae Pastoribus sic fuerit visum *Trid. sess.* 22. Omittere Missam Parochialem in illis Dominicis, in quibus stricte prohibetur, esset peccatum: Omittere ex contemptu, ubi consulitur est, gravis culpa. Nulla est lex Ecclesiastica generalis ad hoc obligans, ita ut, si non audiant Missam Parochialem, non satisfaciant praecepto Ecclesiastico audiendi Missam. Inter alia Trid. utitur verbis hortatoriis, non praecipientibus *sess.* 2. Quoad Missas, quae in Oratoriis privatis celebrantur. v. *Bened. XIV.* v. ORATORIUM.

19. Quamvis nulla sit lex generalis stricte praecipiens audire

Missam Parochialem, monendi tamen sunt populi, ut quam frequentius satisfaciant. Hoc Patres, et Canones, et emolumenta varia spiritualia innuunt, quae ex hac assistentia, ut dixi, percipere possunt; quibus adde, quod in Missa Parochiali solent publicari fidelibus dies festi, Jejunia, excommunicationes, denunciationes nuptiarum, et similia, quae Parochiani culpabiliter ignorabunt si non interfuerint. Insuper in Missa Parochiali fit aspersio aquae benedictae super populum, sicut aspersus fuit populus sanguine victimarum per Moysen, dum populus Judaicus foedus iniit cum Domino, qua aspersione foedus cum Domino Jesu, qui effudit super nos aquam mundam, nos renovamus, qua aspersione a venialibus mundamur culpis, si umiles, et contriti illam sacram caeremoniam recipiamus, et ad perfectam culparum gravium contritionem disponimur, et interius lavamur, sicuti lavabant olim fideles et manus, et os in his fontibus, qui erant prope Ecclesiam, ut manibus mundis hostiam reciperent, et ad os mundum deferrent: solebant enim olim fideles Eucharistiam propriis manibus recipere, et propriis quoque manibus ad os deferre. Processioni quoque assistimus, qua antiquam, et solemnem Arcae translationem revocamus, quae ab Israelitis in deserto, ab una in aliam deferebatur mansionem; quae circa Muros Jerico, septies clangentibus tubis circumgesta est, quaeque a Chariatiarim in domum Obed edom, et ab hac in Civitatem David translata est; qua caeremonia, si huic devote assistimus, fit nobis praesens Deus, et uberiori benedictione perfundimur. Crux enim Christi, quae in Processione defertur, est Deo gratior, quam Arca. Adoletur incensum, ut in veteri lege. In Missa Parochiali fumo thuris perfunditur. 1. Altaré, quo Ara Crucis disignatur. 2. Sacerdos, quo Christus significatur. 3. Oblata, quibus vota fidelium exprimuntur. 4. quibus prototypus nobis exhibetur. 5. Clerus, et populus, quibus tota demonstratur Ecclesia, ut dum eo incenso singula adolentur, fiamus omnes Deo in odorem suavitatis. Panis benedictus singulis distribuitur in signum

fraternae communionis, et charitatis, qua distributione significatur, fideles omnes olim in Missa, Christum verum panem, communicando recepisse: Quem sanctissimum usum, cum non possit nunc Ecclesia ob depravatos fidelium multorum mores, observare, ea saltem acaeremonia, commemorat, ut ait *Trid. sess.* 22. *c.* 6. *de Sacrif. Missae*.

19. Not. *Anno* Christi 140. Inceperunt celebrari tres Missae in die Natalis Domini nostri J. C. - *Anno* 119. incepit misceri aqua cum vino in Calice - *Anno* 130., additum est in Missa ter *Sanctus*. *Anno* 140. Graduale, et Gloria in Excelsis - *Anno* 336. additum est simbolum; et *Anno* 370. Confiteor - *Anno* 383. Modus sistendi in lectione Evangelii - *Anno* 428. Introitus - *Anno* 490. Collectae, et Te igitur - *Anno* 935. Statutum fuit tobaleas poni in Mensa Altaris, - *Anno* 682. Mos praestandi populo pacem deosculandam invaluit etc. Haec ad uberiorem cognitionem.

20. Missa pro mortis suplicio puniendis, dicitur de Defunctis. Sciendum enim Ecclesiam preces fudisse pro animam agentibus, et ideo dicitur *Agenda pro mortuis*; ideoque pro suplicio mortis damnatis, dicitur Missa Defunctorum, quae duas continet partes: et rogat Deum, ut felicem illis concedat exitum, nec permittat aeterne perire, et ut mortuos liberet a poenis Purgatorii, ideoque dicitur in Missa et Officio: *Libera me Domine de viis inferni*. v. SACRIFICIUM n. 11.

MISSAE S. GREGORII hanc habuerunt originem. Hic Pontifex dum viveret, praecepit Abbati Pretioso, ut pro Justo Monacho, qui ob tres aureos occultatos, sepultus fuerat in sterquilinio, triginta Missas faceret celebrare, quibus celebratis, Monachus a poenis Purgatorii, quas sustinebat, fuit liberatus. Hinc devotio 30. Missarum S. Gregorii traxit originem.

2. Has 30. Missas numquam prohibuit S. R. C.; licet prohibuerit, quasdam alias pro vivis, et Defunctis, quae ut S. Gregorii falso circumferebantur. Similiter usum, numerum non esse superstitiosum docet *Cajetan. et alii*.

3. Verosimile est D. Gregor. valori Sacrificii hujusmodi 30. Missarum a se institutarum, addere suam intercessionem in favorem animae, pro qua celebrantur. *Gavant. Bonac.*, *Diana etc. Missa* v. REGULARES.

MODERAMEN INCULPATAE TUTELAE, tria requirit: 1. Armorum aequalitas. 2. Quod repercussio fiat incontinenti. 3. Quod aggressus non possit aliter salvari. An liceat cuicumque tam Clerico, quam Laico, ac etiam Monacho occidere injustum aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae? Affirmative respondent fere omnes DD. v. HOMICIDIUM.

MODESTIA. *Est virtus moderans exteriores corporis actiones, juxta praescriptum rectae rationis*, et est; alia modestia in verbis: alia in factis: alia in cultu exteriori vestium, conviviorum etc. Huic virtuti per excessum petulantia opponitur, per defectum ruditas. *S. Ambros.*

MODI ECQUIRENDI DOMINIUM. Rerum dominium transferri; et aquiri potest, vel Jure *naturali*, vel Jnre *Gentium*, vel Jure *Civili*. Omnis enim homo triplici hoc ducitur. Jus enim *Div. et Eccles.* cum Jure *naturali*, *Gentium*, *et civili*, ut plurimum concordant, ubi agitur de rerum transferendo, vel aquirendo dominio.

2. Res corporales, quae sub proprietatis dominio possunt cadere, duplicis sunt generis. Quaedam sunt sine domino, ut gemmae in Littore Maris, pisces, volucres etc., quorum dominium aquiritur *occupatione*. Aliae vero Dominum agnoscunt, et hae distinguuntur in illas, quae certum habent dominum; et in eas, quae incertum, ut res perdita etc., solent dici incerta bona.

3. Dixi: Jure *naturali*; sive *gentium* aquiri rerum corporalium dominium, et hoc multipliciter, videlicet; *occupatione*, *Nativitate*, *Alluvione*, *Specificatione*, *Ædificatione*, *Plantatione*, *Fructuum perceptione*, *traditione*: Jure Civili, et Canon. mediante *praescriptione*, et *Usucapione*: Acquiritur etiam rerum dominium privata hominum volun-

tate. per *Conventiones*, *pacta*, *ususfructus etc.*, quibus additur etiam jus aquirendi dominii *jure belli*.

4. Res illae, quae nullius sunt; jure *naturae*, *et gentium* sunt primi occupantis, nisi lex aliqua humana impediat.

Res *incertae*, quae Dominum habent, sed incertum, ut bona casu amissa etc., aut in mari projecta, vel ad Littus inventa; hujusmodi, quisquis reperit, restituere tenetur suis veris Dominis, et si, adhibita competenti industria, non reperitur Dominus, juxta communem, piamque sententiam eroganda erunt parperibus, retenta sibi portione aliqua.

6. *Thesaurus*. Est vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat. Hinc spectato jure naturali, et gentium, thesaurus proprie dictus transit in dominium Inventoris, ut primi occupantis. Spectato Jure Civili Thesaurus in proprio fundo inventus, totus est inventoris: si autem in altero fundo, non data ad hoc opera, sed fortuito quis invenerit, terram arando, arbores evellendo etc., dimidius erit domini fundi, et dimidius inventoris. Haec constitutio obligat in conscientia ante Judicis sententiam. Sic, si Creditor in domo pignorata, conductor in domo locata, thesaurum inveniat, potest sibi medietatem retinere, alteram domino fundi adiudicando. Si quis vero, dolo sciens thesaurum esse in alieno fundo, non praemonito domino fundi, thesaurum inveniat totus erit domini fundi, quia nemini fraus sua patrocinatur. Si quis per Magiam thesaurum in suo fundo inveniat: totus adiudicatur Fisco in poenam criminis. Si vero in alieno fundo inveniatur, medietas Fisco, altera domino fundi tribuitur. Sciens in loco latere thesaurum, et locum emit, priusquam effodiatur nullam facit venditori injuriam.

7. *Occupatio* est justus titulus aquirendi, modo praescriptae observentur conditiones, et sic sequentes modi aquirendi dominii sunt liciti.

8. *Captivitas* jure belli. Per captivitatem nostros facimus hostes injuste resistentes, eorum res tam mobiles, quam immobiles, ac semoventes: si enim possumus ho-

stes occidere multo magis mancipare, eorumque bona occupare: res mobiles, et semoventes sunt primi occupantis: res immobiles sunt Principis.

9. *Venatio et Piscatio*. Per hanc nostra fiunt animalia quae occupamus, ut lepores, aves etc. Animalia vero domestica cum habeant verum Dominum, furtum est illa occupare. Aliqnando venatio, et piscatio sunt prohibitae, vel titulo alti dominii, vel publicae utilitatis, vel titulo damni illati: Sic venatio prohibetur in garenis (*laghi, o valli riservate*) privatornm, in stagnis privatis etc.

10. *Inventio* non prohibita: Per hanc nostra facimus, non homines, non animalia, sed res inanimes, quae nullius sunt: ut, lapilli, thesauri etc., quae omnia pro derelictis habentur a suis dominis. Hanc materiam multum agitant Casuistae, sed incassum, ut puto. Si enim res inventas intueri debeo, non tamquam meas, sed quasi alienas; certum pariter erit, quod rem inventam retineo, non ut meam faciam, sed, ut de ea, juxta intentionem veri domini, vel publici, vel privati, disponam: cum enim res inventa, non sit mea, sed alterius, de ea, juxta Domini intentionem disponam, fas est absolute: Si vero res inventa talis est, ut ad nullum privatum hominem pertineat, et proinde Reipublicae sit, sic toties inventor debet de ea, juxta Reipublicae leges, cujus est membrum, disponere: Hac doctrina omnes eliduntur difficultates.

11. *Accessio* Est justus titulus acquirendi, praescriptis a Republica legibus. Accessiones naturaliter factae, sunt: 1. *Alluvio*, per quam acquiritur, quod flumen ex uno detrahit praedia, et alteri conjungit, sive id fiat sensim, sive repente. 2. *Circumluvio*, per quam acquiritur illa insula, quae nascitur in flumine non navigabili, ab his, qni praedia possident, et haec juxta latitudinem cujuscumque fundi. Insula vero nata in mari est primi occupantis, illa autem, quae vero in flumine navigabili, Principis. 3. *Alvei mutatio*. Alveus relictus per mutationem alvei, acquiritur a possidentibus praedia prope ripam pro modo latitudinis, suorum praediorum.

4. *Foetus*, et acquiruntur ea, quae ex nostris animalibus, etiam ab alienis impregnatis, nascuntur, quia fructus sequitur ventrem. Sic acquiruntur Lapidicinae, fodinae ferri, ut foetus accessorj fundi. Fodinae vero auri, et argenti sunt Principis.

12. Sunt, et accessiones *industriales*; ut: *Inaedificatio*; quod enim in nostro fundo, aedificatum est nostrum efficitur, quia aedificium cedit fundo, sive solo.

Not. Si bona fide aedificatum est, solvendae sunt impensae, secus si mala fide. 2. *Intextura*, per quam materia aliena intexta meo vestitui, cedit vestimento. 3. *Implantatio*, per quam plura etiam aliena in meo fundo consita, res et radices agens cedit fundo. 4. *Satio*, per quam sata etiam aliena, sata in meo fundo, cedunt fundo. 5. *Scriptio*, per quam litterae qualescumque ex alio scriptae cedunt chartae meae: tabula tamen cedit picturae propter excellentiam artis: Servanda tamen regula, ut in in aedificatione 6. *Specificatio*, idest novae, seu corporis, vel ex materia solum aliena, vel ex materia simul mea, et aliena, ut ex meis, et alienis uvis facio vinum etc. Si haec, et similia non possint reduci in pristinum statum, artifex bonae fidei, est Dominus rei factae. Si riduci potest, et artifex bona fide egit, potest mercedem exigere, si vero materia fuit aliena, speciem perdit, et opera.
v. USUCAPIO. PRAESCRIPTIO.

MODUS IMPETRANDI absolutiones, vel dispensationes a S. Penitentiaria. etc. v. *Mantiss. I.*

MOLLITIES plane voluntaria, vel in se, vel in causa est peccatum mortale: imperfecta vel in se, vel in causa, est peccatum veniale. In gratiam Arbitri casuum.

2. Peccatum mortale est mollities quietistarum, apud quos nihil refert, quid sensus agat, quidve patiatur, modo animus Deo conjungatur, quia ficta illa cum Deo conjunctio mollitiem ab intrinseco malam, licitam reddere non potest.

3. Peccatum mortale est mollities, quam quis sibi procurat, putans erronee esse licitam, quia lex naturae non potest ab adulto, quoad hanc prohibitionem, invincibiliter ignorari.

4. Peccatum mortale est mollities eveniens vigilanti, cum deliberato consensu illius, etiam si intenderetur sola sanitatis causa, quia, utpote libera, est peccatum.

5. Peccatum mortale est mollities eveniens dormienti plane voluntaria, vel antecedenter in causa; vel concomitanter in actu, vel consequenter in effectu. *S. Thom.* 2. *Part. q.* 8. *a.* 7. Et ita pollutio veniens ex causa mortaliter culpabili; ut ebrietate, colloquio inhonesto, aspectu turpi, lectione lasciva, inhonesta corporis compositione, est peccatum mortale. Veniens vero ex causa venialiter culpabili, v. g. levi excessu, vel in cibo, vel in potu, vel ex colloquio venialiter inhonesto etc., est peccatum veniale. *S. Thom. ibid.*

6. *Pollutio* omnino involita vel in se, vel in causa, nullatenus est peccatum. *D. Thom. ib.*. Ideo in sequentibus casibus pollutio nullatenus culpabilis erit. 1. Cum ex malitia Daemonis causatur tum per vigiliam, tum per somnium, imaginationem commoventis, et spiritus venereos excitantis. 2. Cum causatur ex debilitate naturae non valentis offormatum semen retinere. 3. Ex robore naturae corruptum, et superfluum expellentis. 4. Cum causatur est cogitatione speculativa necessaria, ut causa lectionis, disputationis etc. In similibus casibus, si nulla sit complacentia, sed displicentia, nullum est peccatum. *S. Thom. loc. cit.*

Not. An liceat pollutionem involuntariam appetere, et de illa gaudere, pro ut est naturae alleviatio; res valde dubia est; nam hoc licet orare, quod licet desiderare. Ecclesia tamen non permittit, quod Deum oremus, ut pollutio in sommo evadat, quin immo quoquo Vespere canit: *Procul recedant somnia, et noctium phantasmata; hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.*

MONIALIS v. ABBATISSA.

MONITIO CANONICA. Tunc censebitur esse Monitio, si competentibus intervallis, atque aliis rite observatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim.

MONITORIUM. *Est mandatum Judicis Ecclesiastici, quo sub poena excommunicationis, jubet revelari auctores criminis, Reipublicae perniciosi, vel gravis damni proximo il-*

lati. A solo Episcopo concedi potest Monitorium in finem revelationis.

2. Monitoria non debent concedi, nisi ob graves culpas, puta pro rebus magni momenti, quae materiam civilem respiciunt: pro deperditis, et subtractis rebus: pro gravibus criminibus puniendis; pro atrocibus injuriis reparandis: pro testibus examinandis: *S. Pius V.* vetat dari Monitoria pro causis, in quibus rei possent morte puniri. Monitoria non conceduntur nec haereticis, nec excommunicatis, nec publicis peccatoribus.

3. Ideo illi omnes, et soli tenentur sub paena excommunicationis, publicato Monitorio, revelare, qui ex jure naturae tenentur ad testimonium ferendum, vel pro innocente defendendo ante quamcumque juridicam compulsionem, vel contra reum condemnandum post juridicam compulsionem, vel pro eo, qui damnum patitur, vel contra eum, qui damnum infert.

Not. Illi omnes a publicatione dispensantur, qui juxta formam Juris non ducuntur ut testes: Sic non tenentur, qui rem sciunt dubie, Consanguinei, et affines usque ad 4. gradum. *Edict. an.* 1667. *a* 1. Non tenentur, qui revelando proderunt, vel secretum naturale, vel Sigillum Confessionis, vel sibi ipsis ingens malum.

4. Omnes tam Laici, quam Clerici, tam Regulares, quam Saeculares subjciuntur, et tenentur revelare, sive in causis civilibus, sive sanguinis, *facta a Clericis protestatione*. Contrafacientes peccant ipso facto, scientes se jure naturae teneri ad testimonium ferendum, id tamen vel odio, vel timore, vel gratia, recusarunt; et eo gravius, cum moniti ab Ecclesia, pertinaces extiterunt, incurruntque excommunicationem, si non revelant, a qua nequeunt absolvi, nisi a Superiore, qui Monitorium concessit etc.

5. Promulgatio Monitorii ad Vicarios in suis quisque Ecclesis, et in suis Paraeciis ad Parochos spectat. Hinc fieri debet diebus Dominicis, in Sacra Concione, adeout nemo possit ignorare; et haec tripliciter tribus diebus Dominicis, ut monitio sit Canonica.

6. Revelationes excipere est Parochi, et Vicarii, nisi alium deputaverit Episcopus. Parochus tenetur infirmos quoque adire, ut, siquid sciunt, revelent etc.

MONOPOLIUM. *Est conventio quaedam inter duos, aut plures personas inita, ad augendum alicujus rei pretium, ratione necessitatis, quae cum damno Reipublicae imponitur, emendi ab aliquo ex sociis.*

2. Duplex est. Aliud fit publica auctoritate, et est, cum Rex, Princeps, Respublica, Communitas, privilegium alicui concedit mercatori, ut solus possit vendere merces: Aliud, quod fit privata auctoritate, et contingit, cum duo, vel plures Mercatores simul conjurant, ut Navis alicujus praetium augeat.

3. Quod fit a privatis quadruplex est. 1. Dum conveniunt inter se perditi, et scelesti mercatores, ut mercem quampiam solummodo tali determinato pretio vendant: 2. Cum duo, aut plures conveniunt ad emendas omnes alicujus oppidi merces, ut illas majori pretio vendant. 3. Dum artifices, et operarii inter se conveniunt, ut nullus opus ab alio inceptum perficiat, nisi tali data, vulgo, *giornata*. 4. Dum fraude, aut mendacio impedire procurant mercatores, ne merces, aut fructus aliunde veniant, ut carius, quod habent, in praejudicium, et damnum Reipublicae, vendant.

4. *Monopolistae* privati, peccant, et toties ad restitutionem tenentur, quoties damnum inferunt. Sic *Jus Civ. de Monop. l. unica*. Peccant contra justitiam legalem, quia Lex monopolium prohibet: Contra charitatem, quia proximo non faciunt, quod sibi fieri vellent; contra justitiam commutativam, si justum, et vulgare pretium excedant. Omnes istos, jam cribravit Satanas, cum quo erit eorum perpetua societas.

MONS PIETATIS, qui exordia sua, Perusiis debet, ope quorumdam Patrum S. Francisci, et postea per orbem totum dilatatus. *Est cumulus rei usu consumptibilis. v. g. pecuniae, frumenti etc.* ad mutuandum egentibus ad certum tempus, sub idoneo pignore in quo, vel nihil accipitur, vel

aliquid moderatum pro quolibet mense, pro supplendis expensis. Montes isti sunt liciti, modo fiant cum conditionibus statutis a Constit. Pontificiis *Pauli II. Sixti IV. Leonis X. etc.*

2. Ut Mons Pietatis suo nomini plene respondeat, mutuatarius nihil debet dare praeter pignus, quod, refusa sorte intra annum, aut circiter, integrum ipsi restitui debet.

3. Mons Pietatis retinet adhuc nomen suum, cum aliquid moderatum accipitur pro solis necessariis impensis.

4. Mons Pietatis, in impietatem, et usuram degenerat, si sumatur aliquid pro mutuo, pro adaugendo Monte Pietatis, aut pro fictitiis aliis titulis.

5. Mons Pietatis veram impietatem continet, si sub praetextu juvaminis egenorum fiat illis gravamen, vel in fraudolenta subhastatione pignorum, vel in enormi pensitatione menstrua, in immoderato impendio aedificiorum, vel in excedenti numero ministrorum et excedenti eorum stipendio, quia tunc sub nemine pietatis vera palliatur usura.

MORALIS CHRISTIANA v. PROLEGOMENON.

MORIBUNDUS v. ABSOLUTIO n. 7. *et alibi*.

MOROSITAS v. AFFABILITAS.

MORTIS ARTICULUS. In mortis articulo constitutus, quorumcumque peccatorum absolutionem, et censurarum relaxationem, a quocumque Presbytero, *et multi volunt* etiam excommunicato vitando, seu degradato, aut haeretico, obtinere potest. Sic *Card. Albitius. Fagnanus*, et alii. In mortis articulo constituto, optat Mater Ecclesia facile concedi Indulgentiam Plenariam, et acceptatio Mortis inculcatur, tamquam opus injunctum pro consequendo Indulgentia Plenaria in mortis articulo.

MOS DEOSCULANDI PEDES SUMMO PONTIF. incepit an. 700.

MULIER, non est capax ordinum absolute. Esto in Jure nominentur *Diaconissae*: *Presbyterissae*, *et Episcopissae*, non officit, *ait Baronius* ad an. Christi 34. Tali enim nomine vocabantur non quod essent ordinatae, sed quia earum viri erant tali ordine insigniti.

2. Potest tamen habere jurisdictionem, seu potestatem Jurisdictionis, in aliquo officio, aut dignitate, ut Abbatissa Priorissa etc., quae sunt capaces conferendi, nominandi, instituendi Parochiam, et Parochum, cum approbatione Ordinarii. Potest similiter beneficiis Clericos privare sibi subditos, non autem suspendere, nec publice benedicere, sed eo modo solum quo Parentes filiis benedicunt. Nec potest pro Ministro inservire ad Altare v. *Rubric. Miss. in Defectibus etc.*

MULIER SOLLICITATA v. SOLLICITATIO *n.* 6.

MULIERUM CONFESSIONES. v. CONFESSIO. *Not.*

MULTILOQUIUM v. GULA.

MUNUS prout ad Simoniam referibile, triplex est. Munus *a manu*, et intelligitur non solum pecunia, sed omnis etiam res temporalis pretio aestimabilis, sive mobilis sit, sive immobilis. Munus *a lingua*, intelliguntur laudes, preces commendationes apud alium etc. Munus *ab obsequio* intelliguntur servitia, obsequia, ministeria, in rebus temporalibus praestita, vel praestanda etc.

3. Ideoque non peccat, nec simoniacus est dans, vel accipiens aliquod temporale pro spirituali, motivo gratitudinis, modo fiat sine oneroso contractu, vel obligatione liberalitatis eleemosynae etc. Sicut nec Simonia est dare temporale pro vitanda injusta censura, injusta lite, immo licet exigere retributiones ab Ecclesia taxatus pro Sacramentis collatis, minime vero conferendis. Hinc.

4. Simoniam sapit in quibusdam Pastoribus, se difficiles praebere in conferendis Sacramentis, aliisque rebus Sacris, praecipue erga pauperes, et eos avaritiae arguere, qui dona, *quae non habent*, non offerunt; immo Simoniaca censenda sunt Statuta illa, quibus dicitur, quod non fiat Processio, quod talis Crux non deferatur: non cantetur Missa; non sepeliatur Cadaver (*oh flagitium*), nisi talis detur retributio. *S. Thom.* Tertull. et alii.

5. Non peccant Simoniaca labe meritum alicujus manifestantes, sive Clerici, sive Laici, ut ad beneficium promo-

veantur, immo se ipsos laudando, exhibendo etc., dummodo vero zelo id fiat, et amore salutis Proximi.

6. Clericus alteri serviens, et Ecclesiae, non est Simoniacus si ei beneficium ob hoc conferatur, nec Religiosus, si ei Praelatura detur, sicut nec Simoniacus est conferens, quia nullum intervenit pactum etc. *v.* SIMONIA.

MUNERA CLERICORUM. v. CLERICUS. Obiter addo. Quod Clericus debet a populo distingui non solum sanctitate vitae, sed etiam habitu, et vestitu. *Trid. sess.* 14. *De Reform. c.* 6.

2. Clerico interdicuntur ea omnia, quae feritatem aliquam sapiunt, ut arma gerere, bellare etc.

3. Clerico interdicitur id omne, quod sapit lucrum. Prohibetur exercere officium Advocati, Notarii etc. Oeconomi. A secretis etc. *Conc. Mediol.*, ubi adamussim describitur, qualis debeat esse vita Clerici, ut alibi est dictum.

MURMURATIO v. DETRACTIO.

MUTATIO essentialis, seu substantialis, in materia, formata intentione, reddit Sacramentum nullum et invalidum: Mutatio vero accidentalis reddit Sacramentum illicitum. v. SACRAMENTUM.

MUTILATIO. *Est membri amputatio, et omnis laesio corporis. v.* PERCUSSIO.

MUTUUM Conjugatorum officium. In his, quae spectant mutuum convictum, et regimen rei domesticae, uxor tenetur subesse viro suo, eique obedire, et graviter peccat si viro spreto, imperium sibi vendicat, aut in rebus justis obedire recusat.

2. Maritus debet uxorem, non ut servam, sed ut sociam habere in mutuo convictu, immo in his, quae ad regimen familiae spectant, et diversimode operando, peccat.

3. Conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quae individuam vitae rationem, et societatem, quam inierant, fovere possint: Insuper debent sibi ea subsidia, quae ad aeternam utriusque salutem sunt necessaria, scilicet amorem sanctum, et pudicum: administrationem et instructionem:

exempla ad pietatem ducentia: sanctam conversationem, ut eorum exemplo filii, et domestici fideles, seu infideles sanctitatem addiscant etc.

MUTUUM. *Est contractus faciens aliquid de meo tuum, spectato nomine*: Si res spectetur. *Est contractus, per quem mutuans transfert. in mutuatarium dominium, et usum rei, quae per ipsum integre consumitur, ea lege, ut postea tantumdem generis, vel valoris restituat.*

2. Res usu consumptibiles, sunt illae, quarum usus est earum consumptio. Sicut vinum, et panem consumimus eis utendo ad victum. Monetam ipso usu quasi consumimus dum ea utimur ad commutationes faciendas: unde in talibus non debet seorsim computari, usus rei a re ipsa, sed cujuscumque conceditur usus, hoc ipso conceditur, et res ipsa.

3. Res usu alteratae, seu non consumptae, sunt illae quarum usus, non est earum consumptio, ut sunt aedes, vestes, aequi etc. et in iis non consistit, nec fieri potest mutuum.

4. Qui dat mutuo, dicitur mutuator, et Creditor: qui accipit mutuo, dicitur mutuatarius, et debitor. v. USURA.

NATIVITAS. *Est modus acquirendi dominium Jure Gentium. v. Modi acquirendi Dom. n. 8.*

NAUFRAGANTIUM BONA remanent adhuc de jure dominorum. *Est comm.* Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea expiscantes in mari aut flumine, tenentur restituere domino suo. Immo, qui non restituit, quadruplo tenetur, et non restituens, confiscatione bonorum omnium mulctatur. Hinc.

2. Naufragantium bona inventa sibi assumentes, excommunicati sunt in Bulla Coenae, sicut, et accipientes bona scienter ab iis, qui naufragantium bona acceperint.

3. Etsi Dominus numquam esset recuperaturus, semper tamen sunt domini sui, donec consumentur.

4. In Dominio Pontificio auxilium praestantes, vel ad bonorum praeservationem, vel recuperationem lucrantur quartam partem bonorum; contra facientes crimen laesae Majestatis incurrunt.

5. Si, ut liberetur a naufragio, navis onusta mercibus plurium Mercatorum, projectae sint in mari merces trium istorum caeteri, quorum merces servatae sunt, debent contribuere juxta valorem, et pretium suarum mercium.

6. In praxi. Si bona in naufragio surrepta sunt infidelium, numquam excommunicatio incurritur, si fidelium incurritur, cum injusta est susceptio, et in materia notabili.

NAUFRAGIUM. Intelligitur per hoc, Navis, jactura aut cujuslibet Navigii, maria, lacus, aut flumina emetientis, sive in rupes elidat, sive aquis absorbeatur, cum nautis, ac mercibus omnibus, aut sola parte illarum.

NECESSITAS. *Est illud, sine cujus concursu salus haberi nequit.* Una est *Medii*, quam jam definivi. Alia *Praecepti*, et est illa, qua aliquid sub obligatione praecepti necessario praestandum est, ad consequendam salutem, eo quod, aliter quis trasgrediendo praeceptum mortaliter peccaret, sicque aeternam salutem amitteret, quamvis tamen,

si ex ignorantia, vel impotentia, vel oblivione inculpabili id forte praetermittatur, non impediat salutis consecutionem, et sic est necessaria ad salutem, mandatorum observantia. Necessitas Medii, et praecepti simul, est illa, qua aliquid est ita necessarium ad salutem, ut sine illo consequi nequeat, sed insuper, si illud culpabiliter omittat, tamquam Praecepti Divini transgressor, fit reus aeternae perditionis. Ut; adulto, necessarius est baptismus ad salutem aeternam, casu, quo possit eum in se suscipere.

2. Est et necessitas proximi, sive *corporalis*, sive *Spiritualis*. De prima v. ELEEMOSYNA. Necessitas *spiritualis extrema* est, cum quis in proximo versatur damnationis periculo, aut in proximo peccandi periculo. Gravis illa est, cum proximus reperitur in talibus circumstantiis, quae ejus salutem difficilem reddunt: *Communis* illa est, in qua reperiuntur communiter peccatores in mortali constituti. His perpensis, regula facilis erit, solvere et judicare in particulari de quocumque casu.

NEGOTIA. In Ditione Pontificia pro negotiis ad Ecclesiasticos pertinentibus, in publicis Consiliis quorumcumque locorum, deputandi sunt duo Ecclesiastici, unus Saecularis, Regularis alter, et ambo Saeculares alio deficiente, toties interpellandi, quoties ad ipsos aliquid pertinet, aut pertractandum est, et intersint cum consultivo suffragio dumtaxat, cum facultate tamen recurrendi, si Laici contrarium resolverint, validum adhuc erit decretum. Vocandi sunt etiam, cum ratio redditur expensarum, quae ab iisdem Ecclesiasticis tollerantur, eisque communicandi, in loco designato a Gubernatore, non vero tradendi libri expensarum, sive Computorum, cum facultate pariter recurrendi ad Superiores, si quid injustum videatur. *Bened. XIV. Const. incip. quamvis.*

NEGOTIATIO. v. ARS MECH. *n.* 5. Clericis sub gravi peccato prohibita est, ac censuris, aliisque poenis ferendae sententiae; juxta Bullas etc.

2. Praxis est. Si Negotiatio fit per emptionem, et vendi-

tionem, Clericis est illicita, quoties res emitur, et immutata carius venditur. Si fiat per aliam industriam, est Clericis illicita, quoties exercetur in fructu rèi alienae, vel Clericatui indecens.

NEGLIGENTIA. Intelligo hic illam voluntariam omissionem studii, et diligentiae ad ea discenda, quae quisque pro sua provincia, et instituto, vel scire, vel discere tenetur. Est peccatum grave, *ait S. Bonav.*, vel leve, pro levitate rei, que sciri debet, ejus fine spectato. Unde gravis negligentia discendi, sive communes, sive proprias obligationes sui muneris, sui officii etc., erit semper mortalis culpa.

NEOPHITUS Ad sacros ordines minime promovendus, nisi prius constet de ejus constantia in fide *Conc. Nic. can.* 2. 3. Hoc relinquitur munus arbitrio, et prudentiae Episcopi, serio expendentis mores, et constantiam in fide cujusque Neophiti.

NOTARIUS, *ille est, qui contrahentium voluntates tamquam Testis publicus scribit, quique Instrumenta publica, tamquam Depositarius publicus custodit.*

2. Duo praecipue requiruntur in Notario. 1. *Scientia*, qua observet solemnes contractuum formulas. 2. *Fidelitas*, qua nihil contra aequitatem, et veritatem sinat in suis irripere scriptis. Haec jurare fideliter debet, dum promovetur.

3. Notarius intra Mensem tenetur referre Episcopo, sub poena Excommunicationis Testamenta ad Causas pias, nemine etiam requirente; alias mortaliter peccat. Sicut intra mensem tenetur revelare Legata facta Fabricae S. Petri.

4. Faciens usurariorum instrumenta, subjacet ipso facto poenis usurariorum. *Conc. Raven. IV. sub. Joan.* 22. *c.* 5.

5. Notariatus officium vile esse arbitrati sunt nonnulli Doctores, quos inter recensetur *Fagnanus, et alii, Rot. recent. Decif.* 5o4. *n.* 3. *part.* 1. ea ducti ratione, quia olim *Notarius* proprie dicebatur Servus publicus, seu Libertus, qui notis quibusdam brevibus quam citissime excipiebat, quae quis dictaverit. Unde Martialis. lib. 14. Epigr. 208.

Current verba licet, manus velocior illis
Nondum lingua suum dextrua peregit opus.

Paulus Lib. 11. Responsorum relat. *in leg. 40. ff. de Testament. milit. ait . = Lucius Titius Miles Notario (suo) testamentum scribendum notis dictavit, et antequam, Literis praescriberetur, vitae defunctus est* =. NOTAE vero erant quaedam signa vulgo Cyphrae, seu arcani characteres, quibus singulis singula verba significabantur, ut puta G. R. C. P. = scilcet. *Cujus Rei Causa Promitto* : Q. S. S. S. *quae supra scripta sunt*, et cetera similia, quae discere est apud Valerium Probum, Petrum Diaconum, quorum de notis libelli ex compluribus, olim ea de re scriptis, soli hodie extant. Librarii itaque, et amanuenses veterum Romanorum Nobilium praeditumque hominum, quod ut plurimum ejusmodi notis uterentur. Tantumque abfuit, ut eo tempore in dignitate, auctoritateque publica tales essent, ut maxima ex parte *Servuli* hanc notandi artem exercerent. Aestimabatur Servus *Notarius* Justiniani Imperatoris tempore, quinquaginta solidis, hoc est aureis. Unde etiam eveniebat, ut Romani plerumque plures numero *Notarios* Servos in famulitio suo, prout cujusque facultas ferebat; aut dignitas, ususque exposcebant, apud se alerent.

Scribae enim diversi erant a notariis, sicuti diversae sunt notae a verbis praescriptis, isti enim notabant, et Illi notas per extensum redigebant, ut omnibus innotescerent. Scribis namque utebatur Magistratus pro regestro Legum, et actorum publicorum pro aperitione Testamentorum L. 18. Cod. de Testament. etc. Verum collapsa tandem Imperii Romani Majestate cum omnis splendor publicarum privatarumque rerum jam obsolevisset, quamvis notariorum quoque usus conquiesceret ipsum tamen in memoria remansit, et a recentioribus iis tantum tributum fuit, qui publica Instrumenta conficiunt : idque eam ob causam puto, quod, et ipsi certis notis uterentur, scilicet in Instrumentis abbreviatis, ac ceteratis.

Tabellionis autem, vel Tabellarii nomen huic officio peculiare olim fuit, atque ita Justiniani temporibus dicebantur, cujus extat etiam elegans Authenticum de Tabellionum officio. Hodie vero *Scriba*, *Notarius*, *Tabellio*, *Scriniarius*, *et Cancellarius* sine ullo discrimime promiscuo nomine intelliguntur sub Notarii nomine, qui creatur Imperatoria, Regia, et Pontificia auctoritate respective. Notarius publica gaudet fide imperantis auctoritate collata, et ex Novissima constitutione Summi Regnantis Pontificis Leonis XII. in Utroque Jure Doctor esse debet, proptereaque ejus officium non solum nobile, sed utile, et necessarium reputatur.

Etenim apud Graecos, *teste Emilio Probo in vita Eumenis*, apud Latinos, et Hebraeos *teste Livio lib. 2. de C. Mutio*, et apud Gallos, teste *Paulo Emilio de Rebus Francorum*, magno in honore, auctoritate, et dignitate Tabellionatus, seu Notariatus officium habitum fuit. Tandem *in Eccl. cap. 10. v. 5. In manu Dei potestas hominis, et super faciem Scribae imponet honorem suum*. Haec omnia adnotanda duxi, ut relevetur, quanta sit dignitas, et auctoritas illorum tale excecentes nobile officium, et quanta honestate, et fide praediti esse debent.

NOTORIUM. *Est jus, vel factum in notionem omnium transiens, vel majoris partis eorum*.

2. Duplex est. Notorium *Juris*, et fit tripliciter: Ex propria confessione in Judicio, ex indubitata probatione, ex sententia: Notorium *Facti*. Est illud, quod toti constat populo, aut majori parti viciniae, ita ut nequeat occultari.

3. In factis vere notoriis, potest Judex procedere, non servato Ordine Juris, et ea absque alia probatione punire. Nec requiritur aut denunciatio, aut libellus, aut testium examen. Cum enim Judex certus sit, ex facto vere notorio, non indiget per alia certiorari. In vere Notoriis, non datur appellatio, et si appelletur, potest Judex procedere ad executionem poenae, non obstante appellatione: *S. Thom. 2. 2. q. 70. n. 4. ad 2.*

NULLITAS. Testamenti *v. Testamentum*.

NULLIUS. *Praelati* nullius Dioecesis veniunt nomine *Ordinarii*, non *Episcopi*, sed *quasi*. Dispensationes Matrim. diriguntur Praelato nullius, vel ejus Vicario. Praelati nullius, dant licentiam absentiae Parochis suis ad praescriptum. Concedunt Commendatitias, non Dimissorias. Episcopus Commendatarius Abbatiae Nullius, non potest ibi illius subditis Ordines conferre, vel Synodum, aut concursum facere; sed bene confirmationem administrare, Altaria, Cappellas consecrare, aliaque Pontificalia exercere. Jurisdictio in exemptos eadem est Praelati, et Episcopi. Episcopus vicinior potest visitare loca Nullius, sed non ibi aliquid agere absque consensu Praelati, nec facere processum Judicialem.

NUNDINAE. Sunt de rebus majoribus, semel in anno, vel saltem raro, in eodem loco, negotiatoribus, de longinquo venientibus. Nundinae Ecclesiae legibus saepe interdictae fuerunt diebus festis; sed ob generalem consuetudinem sunt tolerandae.

NUPTIAE dicuntur ab obnubendo, quia foeminae in nuptiis caput obnubere solerent. v. MATRIM. *et alibi*.

O

OBEDIENTIA. v. OBLIGATIO. VOTUM.

OBLATIONES. Hoc nomen dupliciter sumitur. *Generice*, seu pro omni re ad cultum Divinum oblata, seu data: quo modo, quaslibet oblationes ad Dei cultum factas, et ipsas quoque primitias, atque Decimas comprehendit. *Proprie*, prout est specialis actus Religionis. Sicque oblatio accipitur pro spontaneis illis donis, quae Fideles ad Dei cultum, et honorem, ad Altare deferre solent, quales oblationes ad Templum, et Arcam Dei, olim plurimas esse factas, constat ex Div. Script. et etiam nunc fieri videmus. v. DISTRIBUTIO etc.

1. Oblationes non debentur ex praecepto. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 8. *a.* 7. Barbosa, et alii: nisi, cum debentur per modum census, aut pensionis, aut conventionis, cum debentur ex Testamento, Legato, voto, donatione inter vivos, etc. cum Ministri Ecclesiae non habent congruam sustentationem, nec habent, unde possint haurire, cum est longa introducta consuetudo, saltem per 10. annos, et tota, vel major pars populi, servavit. v. OBLIGADIO SUSTENTANDI MINISTROS etc.

OBLIGATIO. *Ex D. Thom. illa est, per quam secundum honestatem ex qualibet promissione, homo homini obligatur*; et haec est obligatio *Juris naturalis*. Obligatio *Juris civilis, illa dicitur, quae, aut legibus constituta, aut certo jure civili comprobata est*. Hinc dicitur civiliter obbligatus, qui in foro externo expetiri potest. Naturaliter vero obligatus, qui ex jure gentium obligatus existit, ac proinde saltem in foro conscientiae tenetur, nisi beneficio legis, seu per rescissionem actus, ope Judicis factam, a tali obligatione naturali liberetur.

2. Ideo. Filii etiam spurii debent parentibus amorem, reverentiam, ac obedientiam.

3. Parentes tenentur filios alere, educare, instruere, ad statum eligendum, dirigere.

4. Obligatio uxoris erga virum constit, ut alibi est dictum, in amore, obedientia, et cohabitatione, quoties causa justa non obstat, et viceversa.

5. Obligatio fratrum, et sororum consistit in mutuo amore, aliisque obsequiis, juxta circumstantias, prestandis; quoad amorem affectivum tenentur semper, cum possunt.

6. Obligatio, qua erga suos Superiores tenentur subditi, quorum nomine intelliguntur illi, qui curam aliorum gerunt, vel in spiritualibus, ut Praelati, et Parochi, vel in temporalibus, ut Principes, Domini etc. consistit in amore, reverentia, et obedientia. Superiores vero tenentur regere subditos, quoties eorum cura est, nec obstet justa causa.

OBLIGATIO CAMERALIS. v. PROMISSIO.

OBLIGATIO JURAMENTI. v. PERIURIUM. *n.* 4.

OBLIGATIO CLERICORUM. v. CLERICUS: MUNERA CLERIC.

OBLIGATIO VITANDI DOLUM. Emptor, et Venditor debent omnem omnino fraudem, et dolum abiicere, et bona fide contrahere. Pro arbitro Casuum haec sit praxis. Peccat venditor, et tenetur ad restitutionem, si in venditione decipiat emptorem, vel in *substantia* rei venalis, ut, dans aquam pro vino, auricalcum pro auro, vitrum pro gemma: vel in *qualitate*, dans animal infirmum pro sano, carnes corruptas, pro bonis: vel in *pondere*, *et mensura*, dans minus modio pro Modio, minus libra etc.; decipit enim emptorem, eique damnum affert, quod reparare tenetur. Sic dicas de moneta etc.

OBLIGATIO RECIPIENDI SACRAMENTA. Illi omnes tenentur recipere Sacramenta, qui opus habent gratia, quae per Sacramenta confertur. Nemo enim, ait *Scriptura*, potest pie, et sancte vivere sine gratia: et ex Jure Canon. *Omnia Sacramenta sunt* toti Ecclesiae necessaria, quamvis singula non sint singulis necessaria. *Baptismus* enim regenerat in Ecclesiam intrantes: *Confirmatio* est robur pugnantium: *Euchristia* Viaticum saluberrimum Viatorum: *Poenitentia*

remedium resipiscentium. *Extrema Unctio* levamen ex hoc saeculo exeuntium: *Ordo* Consecratio Divinis servientium. *Matrimonium* benedictio generantium. Demum quodlibet Sacramentum, est id, a quo omnis vera justitia, vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. *Trid. sess.* 7. *Can. Nulla*. Nullus ergo est homo, qui eximi possit a Sacramentorum receptione, quia omnis homo eget gratia per Sacramenta, quae sunt media, quibus Deus utitur ad gratiam conferendam.

OBLIGATIO RECITANDI HORAS CANONICAS, provenit ex triplici titulo. *Ex Ordine Sacro*. cap. 1. *dolentes*. Ex beneficio, ut habetur *in Bulla septima Leonis X*. Ex *professione Religiosa*, quoad eos, qui sunt choro addicti, ut habetur ex consuetudine v. HORAE CANONICAE.

OBLIGATIO SUSTENTANDI MINISTROS DEI. Est de Jure naturali dicente Scriptura *Dignus est Operarius mercede sua* Matth. 10. Esto obligatio sustentandi Ministros diversimode obliget juxta diversam Legis positivae determinationem, Christus tamen in Evangelio nihil determinavit in particulari exigendum a Laicis pro nutritione Ministrorum, sed ordinavit eis, qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere.

2. Ad cognoscendum, quae sit obligatio oblationum primitiarum, decimarum, non est attendendus usus, qui viget in Ecclesia, quia determinatio praecepti naturalis sumi debet a Christianis non a Lege Mosaica, sed a Lege Ecclesiastica, sicut enim observantiam festorum custodimus, non ut jussit Moyses, sed, ut jubet Ecclesia, ita oblationes primitias, decimas servare nos convenit, ac determinavit Ecclesia. Ideo.

3. Fideles tenentur oblationes, primitias, et decimas Ministris Dei tradere, juxta Ecclesiae determinationem. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *a.* 1. *ad* 2., et quia praeceptum morale non ligat, nisi juxta determinationem legis civilis, positivae, vel Ecclesiasticae.

4. Oblationes, et Primitiae dantur Ministris Ecclesiae

tamquam dona voluntaria, et quae exigi nequeunt, nisi in certis casibus, quia talis est determinatio Ecclesiae. Potest tamen contingere, ut ait D. Thom., quod aliquis teneatur ad oblationes. 1. Ex praecedenti conventione, sicut, cum alicui conceditur aliquis Ecclesiasticus fundus ea conditione, ut certis temporibus certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem census. 2. Propter praecedentem deputationem, sive promissionem, sicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum relinquit in Testamento Ecclesiae aliquam rem vel mobilem, vel immobilem impostérum solvendam. 3. Propter Ecclesiae necessitatem, ut, si Ministri non haberent, unde sustentarentur, ut *heu nimis nunc contingi* ... 4. Propter consuetudinem; tenentur enim fideles in aliquibus Solemnitatibus ad aliquas oblationes consuetas, tamen in his duobus ultimis casibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, scilicet quantum ad quantitatem per speciem rei oblatae, sic loquendum, *ait S. Thom. de Primitiis, de Decimis, etc.* v. DECIMA.

OBLIGATIO AUDIENDI MISSAM v. MISSA *n.* 9.

OBSERVATIO JEJUNII v. JEJUNIUM.

OBSESSUS A DÆMONE v. ADJURATIO *n.* 6. *Not.*

OBSTETRIX, quae ex officio obstetricatur, tenetur sub mortali discere formulam, et modum baptizandi, quia ex tacito pacto ad id obligatur, propter frequentes, qui occurrunt casus necessitatis, et in aliquibus locis, juramentum eliciunt, salutem spiritualem procurandi sobolis, simul et puerperae.

2. Parochi tenentur Obstetricem diligenter examinare, et omnes fere Constitutionem Synod. sub gravi videntur id oneris imponere Parochis.

3. Baptizati ab Obstetrice, rebaptizandi sunt sub conditione, si sit dubium de valore Sacramenti: secus autem si fuerit recte collatus. Ideo, antequam ad Officium admittatur, instruenda est a Parocho de Baptismo in casu necessitatis infantibus conferendo, cum vera materia, forma, et intentione.

OCCASIO PECCANDI duplex est. *Proxima*, qua posita, peccatum difficile vitatur, quia est adeo praesens, quod potest dici, ipsam potius invenire peccatorem, quam peccator ipsam. Haec pariter duplex est. *Voluntaria*, et est illa, quam poenitens fugere potest, et amovere, sed nec amovet, nec fugit. *Involontaria*, quae, positis circumstantiis, amoveri non potest, esto desideretur. Constitutus in prima absolvi nequit *absolute*, nisi dimittat; in secunda, absolvi potest, adhibitis tamen opportunis remediis.

2. Alia est occasio *remota*, qua posita, facilior est evitatio peccati, quia, etsi Poenitens in ea reperiatur, raro tamen, vel difficulter labitur in peccatum. Non tamen idem est habere consuetudinem, et occasionem proximam, haec enim est extrinseca; consuetudo vero interna, et a propria fragilitate, vel malitia nata. Pro solutione autem cujuscumque quaestionis haec sit praxis. Si occasio est *proxima*, permanere in ea semper est peccatum. Si est *remota*, permanere in ea est peccatum, quoties fit sine juxta causa.

OCCISIO SUI absque Divina auctoritate, vel revelatione non est licita. Homo enim non habet jus, et auctoritatem in propriam vitam, nec est vitae suae Dominus absolutus, sed Custos, et Usuarius. Ideo.

2. Peccat peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, qui actione positiva, vel negativa intendit sui ipsius occisionem, vel mutilationem, faciendo aliquod prohibitum, vel omittendo imperatum, a quo necessario sequitur, vel occisio, vel mutilatio, Tales voco, qui se ipsos occidunt pugione, veneno, inaedia etc. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 63. *a.* 1. Qui per crapulam, ebrietatem, libidinem, vel nimia abstinentia, languoribus, vigiliis etc., vitam sibi, vel minuunt, vel eripiunt etc.

3. Sunt tamen casus, in quibus potest homo, actus exercere laudabiles, esto sit mortis periculum, ut Medicus tempore pestis curando pestiferos: privatus homo illis inservire: Sacerdos Sacramenta administrare: Concionator infidelibus praedicare, flammis se exponere, ut puerum baptizet etc.

OCCULTATIO FIDEI, cum simulatione Mahumetismi damnatur a Bened. XIV., et occultans excluditur a Sacramentis in vita, a suffragis in morte.

OCCUPATIO *est titulus, quo rem, quae nullius est, sed alicujus esse potest, occupando, meam facio*; Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. v. *Modi aquir. dom.*

ODIA restringi, hic intelligo: Quoties favor, et odium ab invicem sperari possunt favor ut favor, odium ut odium assumi debet, ac praeterea hujusmodi constitutio, qua parte favorabilis est, debet late explicari, et qua odiosa, strictae interpraetationis censeri debet.

2. Cum Constitutio partim est favorabilis, et partim odiosa simulque favor, nequit ab odio sejungi, tunc, ut dignoscatur; an sit favorabilis nec ne? attendere oportet ad principalem disponentis intentionem.

ODIUM PROXIMI. *Est actus, quo proximo optamus malum*. Est ex genere suo mortale, ubi malum sit ingens, quia opponitur directe amori, et charitati. Ideo.

2. Peccat, qui de proximi malo gloriatur, et laetatur, ei aliquod malum optans, non solum spirituale, sed et temporale, et peccat contra charitatem, gravius, vel levius, juxta animi dispositionem.

OFFICIUM CONFESSARII v. CONFESSARIUS.

OFFICIUM DIVINUM v. HORAE CANON.

OPERA MISERICORDIA v. MISERICORDIA *n.* 2.

OPPIGNORATIO. *Est contractus, quo debitor tradit Creditori rem aliquam, vel mobilem, vel immobilem, quae fit pro debito, obligatam*. Ut, Ego debitor Petri, trado Petro pro assecuratione debiti agrum, suppelectilia pretiosa etc.

OPINIO PROBABILIS. v. CONSCIENTIA *n.* 6.

OPUS SERVILE. v. FESTA.

ORATIO. *Est actus Religionis, quo res decentes a Deo postulamus, sive immediate, sive mediate, intercessione Sanctorum*.

2. Oratio non solum est de consilio, sed et de praecepto,

quia est actus Religionis. Duplex est. *Mentalis*, quae sola mente funditur. *Vocalis*, quae non sola mente, sed etiam ore exprimitur, et haec pariter duplex est. *Privata*, quae fit a persona privata, et privato nomine. *Publica*, quae fit a Communitate, vel Ministro Ecclesiae nomine Communitatis. Haec praestantior est, et praeferenda, suam promittente Christo assistentiam, et praesentiam sic orantibus.

3. Ut sit utilis, et fructuosa, requiritur. Praeparatio *remota*, quae consistit in accurata legis observantia. *Proxima*, ut orat...us imploret Divinum auxilium, omniaque alia a mente evellat, ut soli Deo vacare possit. *Attentio* sive ad sensum orationis, sive ad Deum, quae attentio debet esse saltem virtualis etc.

4. Oratio fieri potest pro omnibus, qui nondum sunt in termino, adeoque non solum pro nobis, sed etiam pro quibuscumque aliis, etiam peccatoribus, Paganis, Turcis, Haereticis, Judaeis etc. et excommunicatis. Non tamen orandum pro Beatis, quia sunt in Patria: nec pro damnatis, quia capaces non sunt: Orandum tamen pro animabus Purgatorii, quae licet sint in termino merendi, et demerendi, non tamen sunt in termino Mansionis. Immo nedum est orandum pro istis animabus, sed et ipsae orandae, et invocandae, ut orent pro nobis, licet enim non sint in statu merendi, id tamen ad orandum et impetrandum non requiritur, cum et animae Patrum veteris Testamenti orarent pro populo. *Jerem* 15., *Mach. ult.*, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 16. Animae Sanctae orant etiam Deum pro seipsis. *Alcn. in* 4. *et alii*.

5. Angeli, et Sancti in Coelo orant pro nobis, et a nobis recte, et salubriter invocantur, tamquam intercessores apud Deum. Haec propositio est de fide, quoad utramque partem contra haereticos.

6. Oratio ex Christi oraculo habet infallibilem impetrandi vim, dummodo adsint conditiones requisitae, adeout ipsimet peccatores exaudiuntur. *comm. cum S. Thom.* 2. 2. *q.* 13.

7. Oratio quotidiana fidelium, et praecipue Dominica *Pater noster* delet peccata venialia, et quotidiana.

8. Orationes, praeter eas, quae in Ecclesia receptae sunt in sacris ritibus, non sunt admittendae etc.

ORATORIUM. In Oratoriis privatis, quae Auctoritate Apost. in domibus Laicorum eriguntur, in quibus per diem Missa celebratur, nequit ministrari S. Communio, nec ipsis Personis Privilegiatis. Lambert. T. I. Notif. 29. Pro eadem tamen administranda, sufficere Episcopalem licentiam, comm. sentitur.

OSTIARIATUS. v. ORDO *n.* 10.

ORDINES quot sunt. v. ORDO *n.* 9.

ORDO v. IMPEDIMENTUM.

ORDO. *Est Sacramentum novae legis a Christo institutum, quo potestas spiritualis traditur, et gratia confertur ordinatis ad obeunda ministeria Ecclesiastica.*

2. Ecclesia, ut dictum est, est sacra Respublica, in qua est potestas ferendi leges: judicandi legis infractores: et offerendi Sacrificium. De potestate ferendi leges, dixi art. LEX. De potestate judicandi in foro interiori, ubi *de Poenit*, et in foro exteriori, ubi *de Censuris*. Sed Ecclesia habet quoque potestatem offerendi Sacrificium. Ergo.

In Ecclesia, debet esse Ordo, seu Sacramentum, quo Ministri destinentur ad consecrandum Corpus Christi, et ad obeunda caetera Ecclesiae munia, ut antiquitus in Synagoga erant Levitae et Sacerdotes. *Trid. sess.* 23. *c.* 3. Ergo.

4. Tot debent esse Ordines, quot sunt necessarii ad decentem tanti Sacrificii consecrationem, quia in Ecclesia nihil debet de esse eorum, quae ad Dei cultum conducunt. Ergo.

5. Praeter Episcopatum, debent esse in Ecclesia septem Ordines, utpote necessarii ad decentem Eucharistiae consecrationem; qui Ordines, praeter Episcopatum, qui est complementum Sacerdotii, dici possunt Sacramenta, quia sunt sensibilis caeremonia conferens gratiam. *Trid. sess.* 23. *c.* 2. *v.* ACOLYTHATUS.

6. De Ordinis ministro. Abbates, et Cardinales, ex de-

legatione Summi Pontificis in suis Ecclesiis, ordines minores conferre, et etiam Subdiaconatum. De Diaconatu, multi, et bene quidem negant. Solus enim Episcopus est Ordinis Minister, tum Sacerdotalis, tum Episcopalis, ex Traditione, et Ecclesiae perpetua praxi.

7. Subjectum Ordinationis est vir baptizatus. Effectus hujus Sacramenti sunt plures. Potestas exercendi munia cuicumque Ordini propria: Gratia ad illa sancte et laudabiliter obeunda: Character, qui deleri nequit etc.

8. Nunc summatim: TONSURA est quaedam dispositio, et praeparatio ad Ordines Ecclesiasticos suscipiendos. Primus omnium instituit Divus Petrus, Materiam, et formam proprie non habet, nec confert gratiam Sacramentalem, cum non sit ordo, nec characterem imprimat. Effectus sunt illi, qui correpondent fini Tonsurae, nempe Clericatus, qui complectitur deputationem Ecclesiae servituti, capacitas beneficiorum, et Privilegiorum Ecclesiasticorum, et Ordinum suscipiendorum. Officium Tonsurati est, *Ecclesiae inservire, canere in ea Psalmos*, unde dicitur etiam Psalmista. Ejus obligationes sunt: incedere *in habitu, et Tonsura*: Tonsuratus gaudet Privilegio Fori, et Canonis. Ex Tridentino *scire tenetur ea omnia, quae continentur in Symbolo Apostolorum: in orationibus Pater, et Ave, eaque omnia, quae continentur in Praeceptis Decalogi, Ecclesiae Sacramentis* etc. Nunc.

9. Ordines Minores sunt quatuor *Ostiariatus*: *Lectoratus*: *Exorcistatus*: *Acolythatus*.

10. *Ostiariatus* est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur *spiritualis Potestas claudendi, aperiendi, custodiendi Ecclesiam*. Hunc instituit Christus; cum de Templo ejecit ementes, et vendentes: multi dicant in ultima Coena instituisse. Materia proxima est traditio clavium, et aliqui addunt tintinabulum, quod non admittitur. Forma sunt verba ab Episcopo prolata in Clavium traditione. Hujus effectus sunt tres: Character, Gratia sanctificans, et gratia sacramentalis.

11. ***Lectoratus*** est Ordo Ecclesiasticus, quo conceditur *spiritualis potestas*, *Prophetias*, *et Scripturas legendi in Ecclesia*. Lectoratus est Ordo Ostiariatu nobilior, cujus materia est Liber sacer continens sacras lectiones, et forma, sunt verba ab Episcopo prolata. Hunc ordinem instituit Christus; alii dicunt in ultimo Coena; alii, cum in medio seniorum librum Isaiae aperuit. Hujus officium est *legere Sacras Scripturas*, *pueros docere*: Effectus sunt: character, gratia sanctificans, et Sacramentalis.

13. *Acolythatus* v. *suo loco*.

14. *Subdiaconatus*, est Ordo sacer, per quem datur ordinato duplex potestas, alia primaria, nempe *inserviendi Diacono in Missa solemni*, *quoad praeparationem vasorum sacrorum*: altera *legendi Epistolam in eadem Missa solemni*. Duplex est ejus materia: ***Remota***, ceu Calix cum Patena vacua, et liber Epistolarum: ***Proxima***, et est traditio talium instrumentorum. Forma sunt verba prolata ab Episcopo in traditione materiae remotae. Christus instituit cum in ultima Coena materiam paravit Eucharistiae: Officia Subdiaconi sunt duo. Primo *inservire Diacono in Missa Solemni*. 2. *Canere Epistolam*. Character imprimitur in traditione Calicis, et Patenae, et dum forma profertur ab Episcopo. Effectus iidem sunt, ac aliorum ordinum. Obligationes Subdiaconi sunt tres. *Recitare quotidie officium Divinum*; *Servare perpetuam castitatem*. *Incedere in habitu et Tonsura*.

15. *Diaconatus* est Ordo Sacer, per quem confertur potestas *proxime assistendi Sacerdoti in Missa Solemni*, *et canendi Evangelium in eadem Missa*. Materia remota hujus ordinis est liber Evangeliorum, et manus dextera Episcopi: Proxima est traditio ejusdem libri, et impositio, et tactus physicus manus dexterae Episcopi super caput ordinati. Forma sunt verba prolata ab Episcopo, dum Ordinandus tangit Evangelium. Effectus sunt gratia sanctificans, gratia sacramentalis, et Character. Obligationes Diaconi sunt. ***Recitare Officium Div. quotidie***: ***Servare castitatem***, ***incedere in habitu***, ***et Tonsura***.

16. Sacerdotium est Ordo Sacer, seu Sacramentum novae legis, per quod confertur ordinato duplex potestas, *et supra Corpus Christi verum*, nempe *consecrandi panem in Corpus, et vinum in sanguinem Christi*. Altera, *in corpus Christi mysticum*; *absolvendi nempe, et retinendi peccata*. Sacerdotium instituit Christus in ultima Coena, cum dixit Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem*. Materia remota hujus ordinis, est Calix cum vino, et Patena cum hostia. Proxima est traditio, ejusdem Calicis, et Patenae: Forma quoad utramque potestatem sunt verba ab Episcopo prolata. Singula sunt formae partiales, habentes simul constituere unum totale Sacramentum. Effectus iidem sunt, ac aliorum Ordinum. Officium Sacerdotis duplex est. Aliud *consacrandi Corpus, et sanguinem Christi*, Aliud *absolvendi peccata fidelium*. *De sacrificio Missae* v. *suis locis*.

ORIGINALE PECCATUM. v. PECCATUM *n.* 12.

ORNAMENTA ALTARIS. Altare debet esse ornatum triplici mappa linea, vel ad minus duplici, quarum prima sit duplicata, eaeque ab Episcopo, vel alio talem potestatem habente, benedictae. 2. Debet esse instructum Corporali, et Purificatorio lineis ab Episcopo benedictis; item palla linea, saltem qua parte calicem tangit, eaque benedicta. 3. In eo debet esse Crucifixus exculptus, nisi expositum sit SS. Sacramentum, sed circa hoc est servanda consuetudo Ecclesiae, juxta resolutionem Sac. Rit. Cong. 4. Debent esse duo luminaria cerea: tamen in casu necessitatis, candela ex sebo adhiberi potest.

2. Vasa, quae requiruntur ad celebrationem sunt Calix, et Patena ex auro, vel argento, vel saltem cogente paupertate ex stamno, eaque ab Episcopo, vel alio ex Privilegio Papae, consecrata. v. PARAMENTA.

3. Rubricae Missalis. Aliae sunt directoriae tantum: aliae obligatoriae vel graviter, vel leviter, juxta gravitatem, vel levitatem materiae, et significationis ab Ecclesia intentae; *Directoriae* sunt. Quod Sacerdos celebraturus, prius vacet orationi: 2. Quod praemittat preces, quae dicuntur. *Preparatio ad Missam*. 3. Quod Matutinum, et laudes ante ce-

lebrationem persolverit, dum officium a Missa discrepat: Rubricae *obligatoriae* sunt. Quod Sacerdos recitet preces, inter se vestiendum recitari solitas: Quod induat vestem talarem: Quod recitet Missam officio conformem in diebus duplicibus; in quibus unica Missa de *Requiem* dici potest cadavere praesente: Quod Missam celebret sine intermissione, excepta gravi causa: Quod nihil detrahat, aut addat eis, quae in Missali praescripta sunt. v. MISSALIS etc.

ORNATUS MULIERUM excessivus, non necessarius conditioni, vel ultra conditionem, luxuriosus etc. a Patribus, et Conc. absolute damnatur sub gravi, discussis circumstantiis loci, temporis, conditionis etc. Hanc materiam inter multos Patres diserte tractat. *Aug.*, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 169. *a.* 2. *et alii*.

OSCULA. v. ACTUS IMPERF. LUXUR. *n.* 4.

P

PACTUM. generatim, *est duorum, vel plurium conventio de re aliqua, vel danda, vel facienda*: Pactum aliud est *publicum*, aliud *privatum*. Pacta publica sunt illa, quae Reipublicae causa fiunt, et foedera nuncupantur. Tales sunt conventiones, quas inter se ineunt Regnantes de Pace, vel de Bello. *Privata* sunt, quae de rebus privatorum fiunt, et tales sunt conventiones, quae a privatis hominibus fiunt.

2. Pavta alia sunt *naturalia*, alia *civilia*. Prima sunt, quae ex aequitate naturali, et usu communi gentium ortum, vi res habent simul et effectum. Tales sunt conventiones, quibus Jus civile nullas conditiones apponit, sed eas libero hominum consensu determinandas relinquit, ut pactiones circa res exigui valoris, et pretii etc. Civilia ea sunt, quae a lege, vel Edicto Principis confirmantur, ut sunt pacta circa dotes constituendas, circa censum pecuniarium stabiliendum, et figendum, aliaque, quae non sunt in hominum arbitrio. Iternm.

3. Pacta, alia sunt *expressa*, alia *tacita*. Expressa sunt ea, quae constant consensu expresso, vel per scripta, ut sunt illa, quibus vel verbis, vel scriptis se obligat. *Tacita* ea sunt, quae constant consensu, qui nec verbo exprimitur, nec scripto, sed ex facto colligitur, vel conjectura; uti est pactum illius, qui adeundo haereditatem, censetur paciscoi cum creditoribus, se velle solvere debita haereditatis.

Not. Advertat Casuum Arbiter, non confundenda esse pacta cum contractibus. Illa enim negotium in se perfectum; hi perficiendum continent, et ita actum imperfectum continent. Hinc pacta praeparatoria Contractuum, meo marte, meris contractibus sunt referenda. Hinc si quis indefinite promiserit, se rem alteri venditurum, locaturum, seu societatem cum altero initurum, haec promissa sunt indefinita, et respiciunt negotium futurum, adhuc determinandum adeoque imperfecta dicenda. Contra vero, si pactum, quod contractum praecedit, in se sit determinatum, et defini-

tum, ut contractu accedente nihil amplius sit determinandum, hic actus non nudum contractum, seu tractatum, sed pactum absolutum continet. Huc referri debent sponsalia, quae sunt negotium praeparatorium futuri Matrimonii contrahendi, in quibus omnia determinantur, quae inservire possint futuro Matrimonio contrahendo. Huc referendum pactum de mutuanda certa, ac determinata pecuniae quantitate ad certum tempus, ideoque apud illas gentes, apud quas ex pacto oritur actio; actio denegari nequit ei, cui promissio facta est.

PACTUM SIMONIACUM v. SIMONIA.

PAGANI; sunt qui fidei Christianae contraria sentiunt, colentes Deos, et Idola sua. TURCAE, qui licet unum profiteantur Deum, Trinitatem tamen negant, et Christum, ejusque veritates, et praecepta. JUDAEI, qui etiamnum Legem Moysis observant, *ajunt ipsi*. HAERETICI, qui post susceptum baptisma aliquam negant veritatem etc.

PALPO. Intelligo illum, qui adulatur; damnificantem laudat, vel scelus patraturum comendat sic, ut ex hoc alter ad damnificandum moveatur. Huc pertinet exprobratio ignaviae; quod quis nancisci nesciat etc. Hic scelestus graviter peccat juxta materiam, et absolute ad restituendum tenetur, et ad damni illati compensationem.

PANIS EUCHARISTICUS. v. EUCHARISTIA.

PANTHEISMUS. *Est error omnium pessimus, ac Theologiae a fundamentis eversio*. In eo enim situs est Pantheismus, ut Deum Mundi auctorem, conservatorem, atque rectorem de medio tollat: Ad declinandam vero Atheismi infamiam, Deum profiteri fingit: Si interpelletur, quinam sit hujusmodi Deus? respondet esse mundum ipsum, ac ipsam rerum universitatem. Ergo Pantheismus est error, qui totum mundum, sive rerum universitatem pro prima causa, ac pro Deo rerum omnium Auctore habet. Ideo Pantheista, Atheus est re, non nomine. v. P. Ferrari *hic*.

PARAMENTA SACRA. Jam dixi, ubi de Ornamentis Altaris. Hic subjungo. Paramenta Sacra possunt fieri etiam

ex vestibus eorum, juxta Barbos: *l. 3. Jur. Eccles. c. 2. n. 3,* aliosque multos, hac ratione, et vivae vocis Oraculo Sixti IV. pro minoribus, sed etiam, quia ex jure Comm. per benedictionem sanctificantur, et ex prophanis fiunt Sancta, et Sacra.

2. Paramenta Ecclesiastica debent esse munda, honesta, et proportionata usui, et ministerio, ad quod accomodantur. Debent esse benedicta benedictionibus sitis in Caeremon. Romano, et, sine justa causa, celebrare cum Paramentis non benedictis est gravis culpa,

3. Paramenta sacra non possunt amplius converti in usus prophanos: nec ad alios usus, quam, quibus dedicata sunt, transferri debent. Cum fuerint vetustate consumpta incendio danda sunt, et cineres in Baptismo, vel alio loco abdito, et honesto condi, ne transeuntis pede terantur.

4. Paramenta pretiosa nequeunt sine justa causa alienari, et debita solemnitate, et si contingat alienari, oppignorari etc., fieri nequit, nisi ob servitium alterius Ecclesiae, vel Altaris, vel ad usus sacros, alioquin Sacrilegium committitur, res sacras sine causa venales reddendo. Non adest tamen Simonia, quia venduntur, quatenus materia temporalis, pro pretio temporali.

5. Paramenta Sacra, vestes, vasa etc. ad Ministerium Divinum consecrata, non debent ad usus Laicales commodari etc.

PARENTES tenentur providere filiis victum, vestitum, et congruentem haereditatem. Peccant ideo eos publice, ut ab aliis nutriantur, exponendo, vel ita negligunt, ut nihil curent de eorum vita, et salute, si eorum negligentia suffocentur lecto, vel alia causa pereant. etc.

2. Parentes tenentur providere filiis instructionem, correctionem, bonum exemplum, et ea omnia, quae filios ad coelestem Patriam possunt perducere. Haec, et similia praestare tenentur filiis, quorum sunt depositarii sub gravi culpa.

PAROCHIA stricte, et proprie sumpta, est certus Territorii districtus per Papam, vel Episcopum terminatus habens unum stabilem Rectorem cum potestate populum exi-

stentem regendi, et judicandi, eique Sacramenta, aliaque Divino administrandi.

2. Jura Parochialia Ecclesiae, et Parocho competentia ultra potestatem fori Poenitentialis sunt. 1. Quod Parochiani proles suas proprio Parocho teneantur baptizandas offerre 2. Ut saltem in Pascha Eucharistiae Sacramentum suscipiant in propria Parochiali Ecclesia. 3. Ut solum a proprio Parocho Sacramentum Extremae Unctionis percipiant. 4. Quod mortui in Parochiali Ecclesia sepeliri debeant, nisi alibi, aut habeant, aut seligant Sepulturam, in quo casu debent Parocho Canonicam Portionem *quartam Funeralem* propriae Parochiae. 5. Quod in Ecclesia Parochiali coram proprio Parocho matrimonia solemni ritu celebrent. 6. Quod Parocho solvi debeant decimae, primitiae etc.

PAROCHUS, dicitur a Parochia, sive Paraecia. Ex his aliqui vocantur *Plebani*, qui videlicet curam exercent animarum in Plebania, habente sub se plures Ecclesias, vel Cappellas. Alii appellantur Rectores, quia plebem, et populum sibi commissum cum cura regunt, et eorum beneficium *Rectoria* vocatur. Aliqui vocantur *Cappellani*, et sunt illi, qui, in Ecclesiis Monachorum curam exercent animarum. Aliqui vocantur *Sacerdotes proprii*, Sacerdos enim proprius vocatur cujuslibet Parochiae *Rector*. Alii simpliciter *Curati*, sic dicti a cura, quam de regendis ovibus susceperunt. Hic etiam insigniti sunt nomine *Archipresbyteri*, *Praepositi etc.*

2. Pro Parocho, quocumque nuncupetur nomine, eligi debet Persona *idonea*, quæ in propria Parochia residere, et per se ipsum curam animarum exercere valeat. *Trid. sess. 7. de Ref. c. 3*, et idonea Persona erit, quae est praedita *aetatis maturitate* : *morum gravitate literarum scientia* : *Conc. Trid* : *sess. 24. de Ref.* et hoc sub gravissima culpa.

3. Parochus habet jurisdictionem ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii sentiant, ideo nullam excommunicationis sententiam ferre possunt. *Bened. XIV. de fin. l. 5.*

4. Episcopus successor, posita causa, potest approbatum Parochum examinare, quin et pro libito, et quiete animae suae, quamvis nullam habeat suspicionem. Contrarium tamen docet Bened: XIV. *l.* 13. *c.* 9. *n.* 21. *de Syn. Dioec.*

5. De qualitatibus in Parochis, requisitis *a Canonist*: *ad tit. de vita, et honestate Cleric.*

6. Parochus tenetur de Jure Divino residere in sua Parochia. v. RESIDENTIA.

7. Parochus diebus festis Missam celebrare debet in propria Ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine non obstante: Nec potest aliquid accipere pro administratione Sacramentorum, ut Baptismi etc., Publicationibus Matrimonii, et Ordinum, nisi sponte pro eleemosyna offeratur. Sic *Sacr. Cong: Conc:* 3. *Febr.* 1593. Pro fide tamen, ei debetur decima unius Scuti pars.

8. Parochus violenter rapiens, vel spolians funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus, quod habet quartam Canonicam, et tenetur restituere cum corpore quidquid accepit. Barbos. *de Offic. et Potest. Paroch. p.* 3. *c.* 26. *et n.* 27.

Not. Paraeciae inceperunt esse in Civitatibus anno Christi 110. et anno circiter 400 etiam in vicina, in Oppidis, Ruri etc.

PASCALIS COMMUNIO v. EUCHARISTIA

PASTORES debent ovibus suis amorem, bonum exemplum, instructionem, Sacramentorum administrationem sub gravi v. PAROCHUS.

PATIENTIA v. FORTITUDO

PARRICIDIUM. Est homicidium nefandum, quod committitur in parentes, liberos, collaterales, et affines.

PATRIMONIUM. Ad titulum Patrimonii, vel Pensionis ordinari non possunt, nisi illi, quos Episcopus judicaverit idoneos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum *Trid. sess.* 21. *de Ref. c.* 2.

2. Patrimonium, seu Pensio debet realiter ab Ordinando obtineri, et esse sufficiens ad suam honestam sustentationem;

et Ordines Sacros suscipiens cum Patrimonio, vel Beneficio ficto, suspensionem incurrit. *Trid.* 16.

3. Patrimonium super re immobili constitui debet, et debet esse res certa, et fructifera. Potest constitui in bonis Emphiteuticis, in censibus, non autem in bonis hypotecatis *Trid.* 16. Patrimonii quantitas, ad quod quis promoveri possit, non taxatur, sed remittitur ad terminos Concilii, et Patrimonii examen privativè pertinet ad Episcopum etc.

PATRINI v. BAPTISMUS *n.* 16.

PATROCINIUM. *Est munus, quo apud Judicem alterius agitur causa.* Hoc non potest licite suscipi, nec susceptum exerceri, si Patronus ab initio, aut in progressu litis, cognoscit causam esse injustam, pro qua cognoscenda tenetur adhibere diligentiam debitam, alias contra justitiam peccaret. Ideo.

2. Si Patronus cognoscit, causam esse dubiam, potest in dubio facti reo patrocinari semper, actori numquam. In dubio Juris potest utrique, quoties ipsos admonet de dubio. Si patrocinatur contra Jus, tenetur ad damna, quoties laedit justitiam commutativam.

PATRONATUS. *Patronus est ille, qui aedificavit, vel dotavit, vel fundavit Ecclesiam, et potest ad ea omnia beneficia vacantia nominare; quorum sese Patronum probat, vel per instrumenta indubitata, vel per possessionem immemorabilem.*

2. Patronus alius est *Laicus*, et ab hoc fieri debet praesentatio intra quatuor menses. Alius *Ecclesiasticus*, et debet praesentare intra sex menses, licet Juspatronatus a Laico habuerit. Patronus Ecclesiasticus cum semel aliquem praesentavit, variare non potest, etsi praesentet indignum; pro ea vice, collatio devolvitur ad Superiorem. Laicus vero variare potest, quia Ecclesiasticus scientiam Canonum scire tenetur, minime vero Laicus.

3. Patronus non potest praesentare seipsum, non tamen excluditur ejus Filius. Si plures sunt Ecclesiae Patroni debent simul convenire, et si discrepent, Episcopus potest pro libi-

tu conferre. Jus Patronatus transit una cum fundo ad eum, qui aquirit fundum sive titulo haereditatis, sive donationis, sive emptionis, vel permutationis. Si Patronus ad inopiam redigatur, potest subsidium petere ab Ecclesia.

4. Cessat Juspatronatus, si jus suum contulerit, si Ecclesiam sine restauratione reliquerit, vel patiatur fieri Collegiatam, si Ædes terremotu corruerint, si ab Infidelibus occupetur, si Patronus sit haereticus. etc.

PAX *est actus, seu effectus charitatis*, et secundum D. Augustinum *Est tranquillitas Ordinis*. In hoc consistit, quod nostra voluntas Divinae cohaereat, ad eamque reliquas interiores appetitiones accomodet.

PECCATUM def. a S. Aug. *Factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei aeternam*. Ratio *formalis* peccati sita est in mera privatione rectitudinis actui debitae: quia, si ratio formalis peccati esset quid positivum: Deus censendus esset auctor peccati formaliter sumpti, *omnia enim per Ipsum facta sunt*.

2. Causae peccati sunt duplicis generis. Aliae sunt *Internae*, quae intra hominem: Aliae *externae*, quae extra hominem sunt positae: *Internae* sunt tres. *Ignorantia*, *Concupiscentia*, *Malitia*. *Externae sunt*. *Mundus* cum seducentibus obiectis, *Diabolus* cum suis tentationibus.

3. Deus neutiquam est causa peccati. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es*, ait Psalmista.

4. *Distinctio specifica* peccatorum repetenda est ex oppositione specie diversae cum lege: Quodcumque enim peccatum Legi opponitur; necesse ideo est, ut quando haec oppositio specie diversa est, et ipsa peccata sint specie diversa. Sit exemplum cum mala actio diversis opponitur virtutibus, ut *infidelitas*, *desperatio*, *odium Dei*, sunt peccata specie diversa, quia diversis apponuntur virtutibus, nempe *Fidei*, *Spei*, *Charitati*. Quando vero peccata pugnant cum diversis officiis ejusdem virtutis, ut Idololatria, et Superstitio, tunc specie differunt, quia diversis ejusdem virtutis nempe religionis officiis adversantur. Ubi peccata eamdem offendunt virtutem,

modo contrario, ut *prodigalitas*, et *avaritia*, specie differunt, quia eidem virtuti, nempe *liberalitati* opponuntur, modis contrariis, altero per excessum, altero per defectum. Cum eamdem virtutem laedunt, modo diverso, ut *furtum*, *detractio*, *homicidium* etc. specie discriminantur, quia eamdem specie virtutem, modo dispari impugnant, licet non contrario. Sed

5. *Distinctio peccatorum numerica* desumenda est ex objecto materiali. Ideo, quando unus physice actus versatur circa plura objecta materialia, quae se habent per modum plurium, plura complectitur peccata, quia plures habet malitias sic, qui duos odit homines, duos occidit duo numero committit peccata; Desumitur etiam ex complemento plurium actuum circa idem objectum, ut qui bis fornicatur etc. duo comittit peccata numero distincta: e contra autem, qui intentione fornicandi puellulam osculatur, tangit etc. et fornicatur: unum peccatum numero committit, tanto gravius tamen, quanto plura concurrunt, ait *S. Thom.*, quia omnes illi actus ad actum ordinantur principalem; Desumitur quoque ex morali interruptione, quae in pluribus ejusdem speciei actibus reperitur, quia ob moralem interruptionem actus humani moraliter multiplicantur: ut, qui visa puella, eam concupiscit, et postea se divertit, vel peccati poenitens, abiecit, et subinde ad primam revertitur delectationem, duo committit numero peccata. v. INTERRUPTIO.

6. Ex hac specifica, et numerica peccatorum distinctione sequitur: Omnia peccata non esse inter se connexa, multa enim sunt, quae nullam habent inter se affinitatem, ut *adulterium*, et *homicidium*, et *mendacium*, immo quaedam sic inter se pugnant, ut simul stare nequeant, ut *prodigalitas*, et *avaritia*: Omnia peccata non sunt inter se aequalia: Nam peccatum est majus, vel minus, pro majori vel minori rectitudine, qua privat: unde Christus Pilato dixit. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

7. Effectus peccatorum sunt. Reatus *culpae*, quae nihil aliud est, quam peccatum habituale, id est macula, qua anima peccans inficitur. Reatus *poenae*; obligatio scilicet ad poe-

nam. Utrumque existere docet Fides *Matth.* 5. Prov. 1. Nunc de Peccato in particulari.

8. Peccatum in particulare dividitur. In *Originale*, quo a prima origine, et primi Patris communis voluntate quisque contrahit. In *Actuale*, quod propria peccantis voluntate committitur, et hoc aliud est *Mortale*, quod spiritualem animae vitam, nempe gratiam sanctificantem excludit, ac extinguit. Aliud *Veniale*, quod nec hominem exuit justitia, nec poenae aeternae, sed temporali dumtaxat facit obnoxium. Peccatum denique in *Capitale*, quod non solum est ex se grave peccatum, sed et aliorum radix. In *Non Capitale*, quod ita ex se peccatum est, ut non sit aliorum peccatorum radix.

9. Ad contrahendum quodcumque peccatum actuale, sive postea sit mortale, sive veniale: Requiritur, ut sit *voluntarium*, idest, ut fiat voluntate consentiente. *Non enim est peccatum* ait S. Aug. *si non est voluntarium*: Ut sit *liberum* idest, ut sit in potestate voluntatis illud facere. vel non facere; Non enim sufficit libertas *a coactione*, sed *a necessitate*, idest potentia indifferens, tum ad ponendum, tum ad omittendum actum: Requiritur demum, ut advertatur malitia peccati. Est comm: doctrina. Tria item requiruntur ad peccatum mortale. Plena advertentia, et deliberatio ex parte intellectus: Perfectus consensus ex parte voluntatis: gravitas materiae etc. Est comm:

10. Peccatum mortale potest esse triplex. 1. *Ex genere suo*, seu ex objecto habente intrinsecam malitiam mortalem, seclusa legis prohibitione, ut blasphemia, adulterium etc. 2. *Ex praecepto* quod ideo solum mortale est, quia lege positiva prohibetur, ut comedere carnes diebus prohibitis etc. 3. *Ex accidente*, vel circumstantia, per quam contrahit malitiam mortalem, ut, ratione conscientiae erroneae mortalis finis adjuncti, ratione contemptus etc. Haec de peccato mortali accurate discutiat. Arbiter casuum.

11. Sic pariter *Veniale* triplex esse potest. 1. *Ex genere suo* et proprio objecto, ita levis est malitiae, ut, hac seclusa, non possit in gravem excrescere culpam, ut verbum otiosum etc. 2. Ex *imperfectione actus*, quod, quamvis ex ge-

nere suo mortale sit, tamen ex defectu advertentiae, deliberationis evadit veniale, ut subitus motus odii, superbiae etc. 3. *Ex parvitate materiae*, ut furtum unius obuli etc. Nunc.

12. *Originale peccatum* demonstratur ex Scriptura, et est defatigari ad hoc probandum. Hoc siquidem dogma ex Traditione est certum, siquidem ad Pelagii usque tempora, perpetua fuit hujus dogmatis fides, et unanimi priscorum Patrum consensu firmata, peccatum originis demonstrant, *et heu quam clare*, innumerae miseriae, quibus homo nascitur obnoxius, hocque argumentum adversus Pelagianos, fuit Patribus, et praecipue Augustino familiare. Probatur etiam ex ingenita homini concupiscentia, et innumeris aliis argumentis. Sed *oh felix culpa, quae talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*! Christus enim pro omnibus mortuus est, quia juxta Apostolum in Adamuo omnes peccaverunt *Excepta Virgine, et gloriosa Dei Matre Maria*: Quid ergo parvulis, qui nondum propria peccaverunt voluntate, opus foret pretio verbis Christi, si non piaculum aliquod ipsis quoque non superesset! Inferius dicam.

13. Originalis peccati effectus. Alii praesentem vitam respiciunt: alii aeternam. Culpae primigeniae effectus ad mortalem hanc vitam spectantes sunt: *Ignorantia*, ex qua tot profluunt peccata, *Concupiscentia*, et *Justitiae originalis perditio*. Peccati originalis effectus, et poenae in hac vita, ratione corporis, sunt innumerae, quibus efflictamur miseriae, quarum immensa cohors efficit jugum grave super filios Adae, et tales sunt fames, sitis, morbi, angustiae, mors ipsa: Peccati originalis poenae ad alteram vitam spectantes sunt. *Poena damni*, quae est vitae aeternae privatio: et poena sensus, quae posita est in cruciatibus, et tormentis, quae corpus simul, et animam dilacerant.

14. Sed quid de infantibus absque baptismo decedentibus! Quinque refert Auctorum sententias, *Bellarm*: *T*. 4. *de Contr*. *l*. 6. *de statu peccati*. *c*. 1.

Prima sententia eorum est, qui Regnum coelorum infantibus non baptizatis promittere audebant, esto non negarent,

in originali peccato conceptos, et natos. Fuerunt isti, *Vincentins Zuvinglius*: *Bucerus*, *Calvinus*, alii, quos egregie confutat *S. August*: *l.* 1. *de Origine Animae c.* 9.

Secunda eorum est, qui parvulos non baptizatos excludebant a Regno coelorum, et vita beata Sanctis promissa; eis tamen dabant vitam aeternam, et naturalem beatitudinem sine ulla molestia, aut dolore extra Regnum Beatorum, et procul e carcere damnatorum. Sic sensere *Pelagiani*, *Catharinus*: *Pighius*, *Savonarola*, et alii, docentes, infantes sine baptismo morientes, futuros, post Judicium, beatos naturali Beatitudine, in quodam veluti Paradiso Terrestri perpetuo, feliciterque victuros.

Tertia sententia docet, parvulos sine baptismo decedentes damnari apud Inferos aeterna morte, sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quae dicitur poena damui, ut nullum omnino patiantur dolorem, neque internum, neque externum. Sic docet *S. Thom. in quest.* 5. *de malo a.* 1. 2. 3. et cum ipso multi graves scholastici Doctores, quorum sensum amplector et ego.

Quarta sententia parvulos hujusmodi liberat quidem a cruciatu ignis, et vermis, sed non eos liberat ab interno dolore, sequente ex amissa beatitudine. Sic Petrus Lombardus, et aliqui alii.

Quinta sententia, vult parvulos, utroque genere poenae, damni scilicet, et sensus, in gehenna perpetuo cruciari. Sic sensit *Gregorius Arimin*; *Priedo. Poncius etc.*

15. Poena debita decedentibus cum peccato actuali mortali est poena aeterna, tam damui, quam sensus: *est de fide*. Poena debita decedentibus cum solis venialibus culpis, non est aeterna, sed temporalis, aut in hac vita, aut in Purgatorio luenda.

16. *Difficile definiri potest.* ait S. Augustinus, *quae sint illa peccata, quae impediunt perventionem ad Regnum Dei, difficillimum invenire, definire periculosum*. Statuuntur tamen hae regulae ad praxim.

1. Ea, quae in Script. dicuntur mortem animae inferre, odium Dei in nos provocare, amicitiam ejus dissolvere etc. peccata sunt ex genere suo gravia.

2. Quae a Patribus scelera, flagitia, crimina vulgo dicuntur, sunt peccata secundum speciem suam gravia.

3. Quae legibus Canonicis gravi poena mulctantur, peccata sunt ex genere suo gravia.

4. Quae virtuti opponuntur ad salutem omnino necessariae peccata sunt ex natura sua gravia.

5. Quae ex communi Theologorum sensu lethalia judicantur, lethalia habenda sunt.

6. Quae hisce characteribus carent, peccata sunt ex genere suo venialia etc.

17. Ex multis venialibus non potest unum mortale fieri, quia veniale in natura differt a mortali; quia docet Scriptura justos septies in die in haec offendere. Sternunt tamen neglecta viam ad graves culpas.

PECCATA CAPITALIA sunt septem. *Superbia*, cui contraria est *humilitas*, *Avaritia*, cui adversatur *liberalitas*; *Luxeria*, cui opponitur *castitas*, *Ira*, cui opponitur *patientia*, *Gula*, cui opponitur *abstinentia*; *Invidia*, cui opponitur *amor fraternus*, *Acedia*, cui opponitur *diligentia*. Dicuntur capitalia, cum sint tanquam caput, et radix, ex quibus omnia fere alia peccata profluunt. v. *sparsim.*

PECCATA in Spiritum Sanctum sunt sex, *Desperatio salutis*: *Praesumptio salutem obtinendi absque merito, Veritatem cognitam impugnare*, *Invidia boni sui proximi*, *Obstinatio in Peccatis*, *Impoenitentia finalis.*

PECCATA, quae ante Thronum Dei vindictam clamant sunt quatuor. *Homicidium voluntarium*, *Peccatum contra naturam*, *Pauperum oppressio*, *mercedem operariis fraudare*. v. *sparsim.*

PECCATUM OMISSIONIS, vel COMMISSIONIS. Actus bonus, vel indifferens, qui cum omissione culpabili est coniunctus, et incon possibilis cum observantia praecepti, est peccatum, si sit causa omissionis, vel occasio, uti si quis omit-

tat Sacrum, ut studeat, ludat etc. Si vero tantum concomitanter se habeat ad omissionem, non peccat, quia in eam non influit.

2. Peccatum *oris*, et *cordis*, sunt *mendacium*, *morosa delectatio* etc. v. *suis locis*.

Not. Dantur peccata infirmitatis, quia peccare possumus ex passione antecedente voluntatem ad consensum trahente: Dantur peccata malitiae, quae libere, nulla posita passione, committuntur. Dantur peccata ignorantiae, ut fides docet.

PECULATUS est species furti, quo vel pecunia ad Erarium publicum, aut ad Fiscum Principis pertinens, vel pecunia sacra, aut Religiosa subripitur ab eo, cujus fidei non est commissa.

2. Peculatus poena diversa est, sed communiter est poena mortis, ex Principum constitutionibus. etc.

PECULIUM dicitur quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum, considerandum est, prout est pusillum peculium filiifamilias; et quadruplex est: *Castrense, quasi castrense Profectitium, et Adventitium.*

2. *Peculium castrense* illud dicitur quod filiusfamilias in castris acquirit, non acquisiturus aliunde, et hujusmodi bona dicuntur *castrensia*: Peculium *quasi castrense* est, quod filiusfamilias, Magister artium liberalium, Medicus, Advocatus etc. de publico acquirunt. De his, et de castrensibus pleno jure tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum ad Filios pertinent, prout Juristae cum Theologis fatentur.

3. Peculium *profectitium* dicitur, quod de rebus proficiscitur paternis, et filius negotiando acquirit: Hoc totum quoad proprietatem, et usumfructum Patri aquiritur. *Adventitium* illud est, quod filiofamilias advenit ex alia causa, quam ex enumeratis. Horum usumfructum habet Pater, quamdiu filius sub illius potestate est, dominium autem secus filium remanet.

4. Quoad bona uxoris, alia sunt *dotalia*, alia *Paraphernalia*. Dotalia sunt *Dos*, quae ab uxore, vel alio ejus nomi-

ne datur marito ad onera Matrimonii subeunda: *Paraphernalia* illae res sunt, quas uxor, praeter dotem, simul attulit, sibique reservavit.

PEDAGOGUS sub poena gravi, sive privatus, sive publicus, idest, sive ille, qui publice in scholis docet, sive ille qui in domibus privatim pueros instruit, duobus debet praecipue insistere; scilicet moribus efformandis, et scientiis edocendis. Ergo

2. Pedagogus ipse debet esse bonis moribus imbutus, alias bonitatem aliis inspirare nequibit: et magis probitatem, quam scientiam debet inspirare, probitas enim est vera scientiae janua, et debet severius punire peccata contra mores, quam contra scientiam ab eis amovendo ea omnia, quae labefactare possunt etc. Prov. c. 4. v. 14.

POENA CANONICA. *Illa est, quae infligitur per Canones, vel secundum Canones, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo Ecclesiastico gradu, qui alias sibi liceret.* Poenae canonicae sunt septem *Depositio*, *Degradatio*, *Infamia*, *Irregularitas*, *Excommunicatio*, *Suspensio*, *Interdictum*, v. *suis locis.*

POENITENTIA. Duplici consideratur aspectu, quatenus est virtus, et est virtus, qua homo excitatur ad peccati odium, et detestationem, cum firmo vitae melioris ineundae proposito; ad compensandam injuriam Divinae Majestati illatam.

2. Poenitentia, prout est Sacramentum, de quo est sermo, definitur *Ritus Sacer a Christo Domino institutus ad delenda peccata post baptismum commissa*, et inter novae legis Sacramenta adnumeratur. Christus enim veram Ecclesiae suae concessit potestatem omnia peccata dimittendi post baptismum patrata, dum dixit etc. *quorum remiseritis peccata,*

3. Hujus sacramenti materia duplex est. *Remota*, circa quam Sacramenti efficacia versatur. *Proxima*, ex qua componitur. Materia remota sunt omnia actualia peccata, quia circa ea delenda vim suam exerit Sacramentum Poenitentiae, circa mortalia tamquam materiam necessariam, circa venia-

lia tamquam materiam liberam, et sufficientem: liberam quidem, quia venialia taceri citra culpam, et aliis remediis expiari possunt. sufficientem vero, cum Sacerdotibus suis concesserit Christus potestatem omnia prorsus peccata dimittendi.

4. Quaenam sit materia proxima Saceamenti Poenitentiae dico cum *S. Thom. et comm.* esse tres actus Poenitentis, seu, *Contritionem, Confessionem*, et *Satisfactionem*, saltem in voto. Non aspernor aliorum Theologorum sensum, meum exposuisse mihi est satis. De *contritione, confessione, et satisfactione*. v. *suis locis*. Nunc de hujus Sacramenti Ministro.

5. Solus Sacerdos est Sacramenti Poenitentiae Minister, quia solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dixit Christus, *quorum remiseritis peccata*, et solis Sacerdotibus ministerium hoc adjudicat tota Traditio, ut notat. *Trid. sess.* 14. *de Poenit.*

6. Duplex autem potestas in Sacerdote requiritur, ut queat absolvere: Potestas *Ordinis*, quam omnes Sacerdotes in sua Ordinatione aequaliter accipiunt: Potestas *Jurisdictionis*, per quam Sacerdos, velut legitimus Judex, possit in alterum tamquam sibi subditum sententiam rite pronunciare, ejus culpas vel remittendo, vel retinendo.

7. Hujus Sacramenti effectus sunt: Illius efficacia, ut peccata praeterita deleat tum quoad culpam, tum quoad poenam aeternam: Poenitentiae enim Sacramentum peccata commissa post baptismum remittit absolute, non conditionate; confert enim gratiam justificantem. *Trid, sess.* 7. c. 1. Restituit omnes virtutes supernaturales Theologicas, et Morales per peccatum amissas, ut fidem vivam, spem vivam, charitatem etc. Restituit bona opera per peccatum mortificata, simul et merita interrupta. *Joel.* 1., idest, restituit merita per peccatum ablata, hominemque in eodem jure, quod habebat ante lapsum, Animam Deo reconciliat, et unit, et ex inimica amicam facit. *Haec* est *Thomistarum doctrina*, *quam sequor*.

8. *De Poenitentia credenda*. v. IN FINE MANTISS. 2. *n.* 6.

PENSIO. Hic intelligo jus percipiendi partem fructuum ex beneficio alieno auctoritate Superioris cuipiam justa de causa constitutum; ut, si auctoritate Episcopi assignetur Parocho ob senectutem resignanti certa pars reddituum illius beneficii ab ejus successore ipsi persolvendorum, ad honestam suae vitae sustentationem, si aliunde non habeat, ut honeste se valeat sustentare.

2. Pensio duplex est. Mere *Spiritualis*, quae datur Clerico ob ministerium spirituale. *Mixta*, quae quidem statum requirit Clericalem, ut in eo fundatur, non tamen ob ministerium spirituale, sed ob honestam sustentationem.

3. Ut pensio sit valida, requiritur, ut impetrans sit Clericus, ut Papa dispenset, et ut adsit justa causa. Ex consuetudine Pensio non debet excedere tertiam partem fructuum.

4. Sicut non licet habere plura beneficia, ita nec plures pensiones sine justa causa. *Trid. sess.* 21. *c.* 3.

PENSUS. v. CENSUS.

PEREGRINI v. LEX. *n.* 17.

PERCUSSIO. v. EXCOMMUNICATIO.

PERICULUM JURIS. *Illud est, quod tribuit justum titulum lucrandi ultra sortem*, et requiritur, ut quis rogetur, non offerat. Periculum *Facti* tribuit, si sit sejunctum a mutuo, et sive se offerat, sive regetur, usuram committit.

PERJURIUM proprie dictum. *Est juramentum falsum, quo quis aliquid sub attestatione Divini Nominis confirmat esse verum, quod tamen credit esse falsum*, et viceversa.

2. Peccatum hoc perjurii grave est natura sua, nec materiae parvitatem admittit, propter contemptum, et injuriam Deo illatam. In Juramento *assertorio* sicut non datur parvitas materiae, sic nec in *promissorio*, si induat rationem assertorii, secus, si non induat; tunc enim materiae parvitas datur; ut, Titius jurat, animo se obligandi, dein non

praestat, quod juravit: si materia est levis, levis erit et culpa.

4. Obligatio juramenti transit ad haeredes, si *realis*; secus, si *Personalis*, modo non fuerit ab haerede acceptata.

PERMUTATIO *Est contractus, quo res cum alia re, vel ejusdem speciei, vel alterius permutatur; ut vinum cum vino, lana cum oleo etc.* Eaedem requiruntur conditiones in permutatione; quae in venditione, his exceptis, quae distinguunt permutationem ab Emptione, et Venditione.

PERMUTATIO BENEFICII. Non potest fieri privata conventione partium, sed solum auctoritate Episcopi, qui non debet eas approbare, si labem simoniae advertat, et juridice probet, alias cogeretur acceptare. v. BENEFICIUM.

PHARMACIA. v. ARS MECHANICA.

PIETAS. v. HONOR PARENTIBUS.

PIGNUS v. HYPOTHECA.

PISCATIO. v. MODI ACQUIRENDI DOMINIUM *n. 6.*

PLAGIUM. *Est actus, quo non res, vel pecora, sed homo sive liber, sive servus abducitur.*

POLIGAMIA. v. MATRIMONIUM *n. 6.* BIGAMIA etc.

POLLUTIO ECCLESIAE. v. ECCLESIAE POLLUTIO.

PONTIFEX. v. ROMANUS PONTIFEX.

POSSESSIO, *Est apprehensio, et detentio rei, adminiculo corporis, et animi. Juris* possessio, alia est *rei propriae*, alia *alienae*, sed v.

POSSESSOR *bonae, et malae fidei*. Possessor bonae fidei ille intelligitur, qui invincibiliter ignoravit rem esse alienam vel dubitavit. Sed Casuum Arbiter, sic se gerat. Si res aliena extet, tenetur possessor bonae fidei eam restituere, ut extat, et etiam id, in quo factus est ditior, si non extat, tenetur solam id restituere, in quo ex ea factus est ditior.

2. Possessor malae fidei ille est, qui rem surripit, vel retinet sciens esse alienam. Hic tenetur restituere in statu meliori, quo extitit. Si percepit lucrum restituere tenetur;

quoties procedens ex re aliena. Si damnum intulit, resarcire tenetur, quoties ex occupatione est injuste secutum.

POSTULATIO ex Jure Can. *Est ejus, qui eligi non potest in Praelatum concors Capituli, facta petitio*. v. *Beneficium*.

POSTULATOR. v. BENEFICIUM *n.* 9.

POTESTAS Legislativa humana. v. *Lex*.

POTESTAS Ordinis v. *Absolutio Not.* POENIT. *n.* 6.

POTESTAS JURISDICTIONIS v. *Absolutio*, not. *n.* 6.

PRAEBENDA v. BENEFICIUM *n.* 1.

PRECARIUM. *Est, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur*. Precarium ferme convenit cum commodato, et differt solum, quod commodatum fit ad tempus, precarium vero ad libitum revocari potest.

PRAECEPTA fidei sunt duo. Unum *affirmativum*, alterum *negativum*. Primum in hoc est, ut homo addiscat veritates fidei, eisque prebeat assensum, palamque profiteatur, cum oportet. Negativum autem vetat, ne ignorentur fidei veritates ne his unquam interius dissentiamus, aut eas unquam exterius etiam negemus etc.

PRAECEPTUM. *Est ordinatio rationis, qua praecipitur bonum, et malum prohibetur*. Dividitur in *naturale*, quod est inditum a natura. In *Positivum*, quod est ab alio datum. Positivum subdividitur in *Divinum*, a Deo datum; et *Humanum* a Deo mandatum. Hoc pariter subdividitur in *Canonicum* datum ab Ecclesiastica Potestate, et *Civile* datum a Laica: Praeceptum affirmativum bonum praecipit: Negativum prohibet malum: Affirmativum obligat non *ad semper*, cum justa de causa possit aliquando omitti bonum: Negativum obligat *semper*, et *ad semper*, quia malum numquam potest committi.

2. Praeceptum tam naturale, quam Divinum sub culpa obligat omnes: Ecclesiasticum obligat solos baptizatos. Latum a Superiore sive Ecclesiastico, sive Laico, potest sub culpa obligare, si superior intendat sic obligare, quod non

censetur a Superiore Laico, qui temporalem poenam imponens, videtur nolle sub culpa obligare. Superior vero Ecclesiast. poenam spiritualem imponens censetur obligare semper sub culpa.

3. Praeceptum adimpleri potest *satisfactorie*, opus praescriptum faciendo quoad substantiam, et *meritorie* opus praescriptum faciendo ex charitate etc.

4. Praecepti transgressio est peccatum grave, vel leve, juxta gravitatem, vel levitatem materiae. Hinc si plura praecepta sunt ex motivo diverso per unicam transgressionem, comittuntur plura peccata, si praeceptum versetur circa materiam numero diversam etc.

PRAECEPTA charitatis sunt duo: 1. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex in tota mente tua*, 2. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

PRAECEPTUM Confessionis, et Comm. Paschalis. v. CONFESSIO: v. EUCHARISTIA *n*. 8. *q*.

PRAECEPTA DECALOGI v. DECALOGI PRAECEPTA.

PRAEPARATIO ad Eucharistiam. v. EUCHARISTIA *n*. 18.

PRAECEPTA ECCLESIAE v. ECCLESIAE PRAECEPTA.

PRAESCRIPTIO. Idem est, ac exceptio peremptoria, per quam possessor bonae fidei, post decursum dati temporis a lege definiti, potest repellere Dominum rem suam pristinam repetentem, vel antiquo suo jure uti volentem, opponendo ei continuatam possessionem talis rei, vel juris, bona fide factam tempore a lege definito ad praescribendum, seu peremptorie excipiendum, per quam possessionem talem rem, vel jus, fecit suum.

2. Definitur ergo *Praescriptio*, seu, quod idem est *Usucapio Acquisitio*, *seu adiectio dominii rei alienae*, *vel alieni juris peremptio*, *per continuationem possessionis*, *tempore*, *et modo a legibus definito*. Advocata Universi appellatur a Praeclar. Fleurii

3. Jus Praescriptionis, seu Usucapionis introductum est Jure humano positivo, tum Canonico, ob publicam utilita-

tem, et quietem, ne incerta semper essent rerum dominia, et innumerae vitarentur lites.

4. Ad legitimam Praescriptionem requiritur. Possessio rei legitimo tempore a Jure definito continuata: Bona fides: Justus titulus: ut res sit apta praescribi.

5. Quantum temporis requiratur ad Praescriptionem, seu usucapionem complendam, dico: Res mobiles privatorum cum titulo, et bona fide praescribuntur triennio: sine titulo autem spatio annorum triginta. Excipiendae tamen res furtivae vi possessae etc.

6. Ad Praescriptionem bonorum immobilium privatorum, requiritur spatium decem annorum inter praesentes, *et sunt, qui commorantur in eadem Provincia, et sub eodem Regimine*: et viginti inter absentes, *cum scilicet bona sunt alibi sita*: Sine titulo autem utrobique spatium annorum 30.

7. Ad praescribenda bona immobilia contra Ecclesiam, Monasterium, Hospitale, vel causas Pias, requiruntur quadraginta anni, excepta Ecclesia Romana, contra quam ex ejus jure, sola centenaria praescriptio currit.

8. Praeter tempus praedictum, requiritur insuper ad praescriptionem, quod possessio fuerit continua, non interrupta, quae interruptio duplex est. Alia *naturalis*, cum scilicet, aliquid incipit deficere ex his, quae necessario ad praescriptionem requiruntur. Alia *civilis*, quando, manentibus naturalibus praescriptionibus, interpellatur possidens per actum aliquem juridicum, qui ex legum dispositione talem inducit interruptionem. Prescriptio non currit contra non valentem agere *Rota apud Seraph. Decis.* 926. *n.* 3. *et saepissime alibi*.

PRAESENTATIO ad beneficium. v. BENEFICIUM. *n.* 6.

PRAESENTIA. Corporis Christi in Eucharist. v. EUCHARISTIA *n.* 5.

PRAESTIGIUM. v. DIVINATIO *n.* 3.

PRAESUMPTIO. *Est appetitus aliquid aggrediendi supra vires*. Sic cum homo vult dicere, et facere supra id, quod potest, dicitur praesumptuosus. Ex se est communiter pecca-

tum veniale, et per accidens etiam mortale, si gravis injùria infera:ur vel Deo, aut proximo, est doctrina *Angelici*.

PRETIUM. Ex venditione duplex est, *legitimum*, *et naturale*, quod triplex est pariter. *Infimum*: *medium*: *summum*. Peccat ideo, et ad restitutionem tenetur, qui sine causa pretio aestimabili rem pluris justo pretio vendit, aut minoris justo pretio emit: non peccat tamen, nec ad restitutionem tenetur, si id faciat cum causa pretio aestimabili; ut, ob lucrum cessans, vel damnum emergens.

2. Infra ultimum ergo, et ultra summum nunquam emere, aut vendere licet. Excipitur tamen, si id, quod venditur erat servandum usque ad tempus, quo plurimi valeret; cum venditur illud, quod erat valde necessarium: cum adest emptorum vel penuria, vel nimius concursus etc.

PRETIUM SIMONIACUM: *Est aliquid temporale datum pro spirituali*, et in Jure Canon. *munus vocatur*, quod non positum prout munus, significat donum gratuitum, sed ut importat munus, non gratis datum, ex cujus interventu requiritur spirituale. v. SIMONIA.

PRIMATUS, PRIMATES. v. HIERARCHIA *n*. 2.

PRIMITIAE, vocantur primi fructus agrorum, vinearum etc. Deo, ut largitori bonorum omnium, in signum gratitudinis nostrae subjectionis, oblati. Oblatio ergo primitiarum est specialis actus virtutis, religionis, et quidem externus. Primitiae in animalibus vocantur primogenita.

PRINCEPS Saecularis. Post constitutam a Domino Christo Regalis, et Pontificalis potestatis divisionem. Rex ex vi saecularis auctoritatis nullam habet potestatem condendi leges circa spiritualia ad Religionem spectantia, nullamque jurisdictionem, nisi ad suppetias Ecclesiae ferendas. Ideo Principes Saeculares non habent potestatem nec circa Verbum Divinum, nec circa Sacramenta, quia oves sunt, non Pastores: Nec possunt in Codiciliis, aut extra, determinare quaestiones ad Religionem spectantes, quia discipuli sunt, non Magistri: Non per se ipsos Sacra exercere, aut ministros con-

secrare: Non Sacerdotes judicare, Episcopos etc. Possunt tamen, ut dixi, leges condere circa et personas, et res Sacras, sed non ut Doctores fidei, sed ut Defensores, non ut conditores Canonum, sed ut vindices. *Ita Paul.* 1. *Ap. ad Tim.* 2., *Honorius Imp. ad Arcadium*, *et Conc. Gen.* 8.

PRIVILEGIUM v. LEX n. 27. v. DISPENSATIO.

PRIVILEGIUM ASILORUM v. REFUGIATI.

PROBABILISMUS v. CONSCENTIA.

PROBABILIORITAS. Duplex est. *Theologica*, quae fundatur in aliquo loco Theologico, ut in Scriptura, Traditione, Conciliis etc. *Non Theologica*, quae meris nititur ratiunculis, quas humana suggerit cupiditas. Hinc.

2. Licet sequi opinionem probabiliorem, etiamsi minus tutam in concursu opinionis minus probabilis, quamvis magis tutae, modo probabilioritas sit Theologica, non tamen tenuis, sed longe excedens, adeo ut mentem moraliter certam efficiat de bonitate operationis, et omne dubium excludat. etc.

Not. Ut probabilioritas sit morum regula, ut dixi, debet esse Theologica, quia si fundatur in ratiunculis, quas humana suggerit cupiditas, tunc non est regula operandi; et Moralis Christiana, non alias debet regulas agnoscere, nisi illas, quae ex revelatione vel mediate proveniunt, vel immediat; ut docent SS. PP. Unde Probabilioritas Academica, quae ex disputandi prurigine oritur, non potest esse agendi regula, talis est illa, quae in quibusdam reperitur Auctoribus, qui res Morales problematice tractant, et ex arbitrio, quod magis placet, probabilius pronunciant etc.

Not. 2. Ut probabilioritas et Theologica, et excedens sit morum regula; opinio proposita debet esse circa quaestiones, *an liceat?* non circa quaestiones, *an valeat?* quia, quando quaeritur, an aliquid liceat? ut homo excusetur a peccato, sufficit, quod ejus actio sit juxta regulas prudentiae: Nam, quamvis post diligens examen contingere possit, quod actio, quae creditur licita, sit contra legem Dei; tamen non imputabitur ad peccatum, quia bona fides a peccato excusat; imo poterit ad meritum imputari, ut patet ex actione Ja-

cob Liam suppositam pro Rachele carnaliter cognoscentis: ille enim concubitus erat contra legem Dei, et tamen ob bonam fidem Jacob immunis fuit a peccato, immo actio ejus si facta fuerit in gratia, et motivo reddendi debitum conjugale, potuit esse meritoria. Sed si quaeritur, an aliquod Sacramentum valeat? non est eadem ratio; quia valor Sacramenti desumitur non ex bona fide operantis, sed ex determinatione Christi, qui instituit Sacramenta; ideo cum de Sacramentis agitur, tutius est sequendum. v. CONSCIENTIA n. 17.

PROCESSIONES Dominicales, et Festivae solemnes, et publicae initium habuerunt anno 535.

PROCESSIO in solemnitate Corporis Christi debet inchoari a Cathedrali, seu Matrice, et ad eamdem terminari *S. Congr. Rituum.*

Delationes Processionales SSmi Sacramenti fieri debent ab Archipresbytero, sive Curato, vel a prima Dignitate, si sit Sacerdos. *S. Congr.* 1602.

Si consuetudo deferendi processionaliter SS. Sacramentum fer. 6. Parasceves in feretro nigris velleribus contexto, non potest absque graviori incommodo extirpari, tolleranda est.

Non debet Ordinarius prohibere, ne dum fit Processio, vel cantatur Missa SSmi Sacramenti qualibet tertia Dominica mensis, pulsentur Campanae, vel celebrentur Missae, maxime, quia adest in contrarium Decretum impressum. *S. Congr.* 1587.

PROCESSUS. *Est ordo Judicialis ad veritatem probandam*. Ut sit validus debet fieri *secundum regulas Juris*: ut sit justus fieri debet *sine alterius infamia, et injuria*, quae, licet ex Juris declaratione censetur inferre, quando Processus fit cum *alterius injuria*, quia tamen alia non suppetit via, praxis induxit, ut ad veritatem eruendam, ne delicta impunita remanerent, hujusmodi injuria in processu nullatenus attendatur: statuitur ideo haec praxis. Si Processus fit cum *alterius injuria, et infamia*, est licitus, si haec resultet ex necessaria inquisitione: Si fit cum *deceptione* est licitus, quoties res est imputabilis.

2. Processus Curiae Ecclesiasticae, non sunt consignandi Judici Laico, nec in confectione eorumdem permittenda Judicis laici assistentia. Modus fabricandi processus videre est apud *Farinacium*, *Raynaldum*, *Bassanum*, *Mirollium*, *et alios*.

PROCURATOR. *Est*, *qui aliena negotia mandato Domini*, *vel quasi Domini*, *administrat*. Procuratorum duae sunt species. Alii sunt ad judicia. Alii ad negotia extra judicium explenda, Canonistae tractant:

2. Generatim loquendo, quilibet, qui non reperitur in Jure prohibitus, potest procuratorem constituere, et generatim loquendo, quilibet, qui non reperitur in jure prohibitus, potest Procurator constitui. Pro meo casu: Clerici Beneficiati, seu in Sacris constituti, prohibentur constitui Procuratores, in foro Laicali, item Religiosi etc.

PROFESSIO Fidei. Non sufficit ad salutem, ut Christianus adultus habeat fidem habitualem; sed frequenter debet actus internos fidei elicere, vel explicitè, vel implicitè, *per se* cum obligatio oritur ex ipsa fide, *per accidens*, cum obligatio oritur ex alia virtute.

2. Homo tenetur ex praecepto affirmativo veritates fidei profiteri coram hominibus, quoties honor Dei, et utilitas proximi id exigit, etiam cum vitae temporalis dispendio. v. FIDES.

PROFESSIO Religiosa, duplex est. *Tacita*, *et Expressa* Haec est cum quis post annum probationis habitum suscipiens regulis Monasterii obstringi se velle profitetur. *Tacita* est, qua quis cum idoneis conjecturis demonstrat, velle se Deo in Religione servire, et vitam agere monasticam.

2. Ad valorem Professionis requiritur aetas annorum 16. completorum, annus probationis completus, quod fiat in Conventibus ad id designatis, et quod fiat libero consensu Profitentis, libere absque metu. *Canc. Trid. sess.* 25. *de Regul. c.* 15.

3. Nulliter professus reclamare potest, juxta dispositionem *Trid. ibi c.* 19. Inter innumeros auctores v. *Barbos. in Conc. Trid. etc.*

PROLES v. ADULTERIUM n. 5.

PROMISSIO. *Est contractus, quo fidem suam aliquis deliberate, ac libere alteri obligat de praestanda re licita, et possibili*. Ideo promissio data, et acceptata vera, non simulata, facta spontanee, et deliberate, cum animo se obligandi, ligat promittentem in conscientia. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 110. *a.* 3. *ad* 3.

2. Promissio non ligat coram Deo, quoties est contra legem naturalem, immo etiam positivam, quae directe respicit bonum commune: ligat vero, si sit contra legem positivam, quae respiciat bonum privatum ipsius promittentis, nisi esset periculum, vel damnum alicujus tertii.

3. Promissionis obligatio cessat, superveniente aliqua mutatione, quam prudenter judicetur, noluisse promissorem in sua promissione includere: Ex mutuo contrahentium consensu: Cessante causa finali, per quam promissio facta est *S. Thom. ib.*

PROMISSIO in forma Camerae, seu cum obligatione Camerali, est obligatio, quam aliquis assumit ex quocumque legitimo contractu cum quadam verborum formula ex multis juridicis cautionibus composita, juxta Rom. Curiae usum, vi cujus formulae debitores facilius per judicium cogi poterant ad complenda promissa. Hodie vero ex. Constitutione summorum Pontificum S. M. Pii VII., et regnantis Leonis XII. in contractibus privatorum in hoc Statu Pontificio nullius sunt roboris obligationes in forma Camerae, et Guaranticiae.

PROMULGATIO MATRIMONII. *Est publica proclamatio, seu monitio futuri inter tales personas matrimonii, coram frequente populo facta*. Haec necessaria est de *Jur. Eccles. a Trid. posita*. *Jure civ.* Omissio non irritat Matrimonium.

2. Graves ob causas haec fuit instituta: Ut excluderentur Matrimonia clandestina: Ut detegantur, siquae sunt conjugii impedimenta: Ne filiusfamilias sine parentum consensu matrimonium ineat; ut fideles de futuro Matrimonio caelestem in sponso benedictionem suis precibus alliciant.

3. Tribus diebus festis fieri debet promulgatio, et quidem inter Missarum solemnia propter majorem populi concursum. Istae fieri debent in propria utriusque contrahentis Parochia: Si pars una, vel utraque ex alia Dioecesi migraverit, et in Parochia quam incolit, per annum integrum non fuerit commorata, vel si, non quidem ex alia Dioecesi, sed solum Parochia venerit neque in ea, ubi nunc degit, per sex menses integros habitaverit, eorum publicationes in iis etiam locis, ubi habitavere, sunt promulgandae. Famulorum conjugia in Dominorum suorum Parochiis sunt promulganda.

4. Si Parochus per confessionem aliquod detegat impedimentum tenetur, quantum fieri potest, a nuptiis avertere, et si persistant nubentes, deneget absolutionem: et si urgeant et velint tunc consentiat, ne in revelatae Confessionis suspicionem incurrat.

5. Promulgationes omitti possunt, ob graves causas, quia sunt juris solum humani, et standum consuetudini.

PROPOSITIONES quinque ex libro Jansenii excerptae damnatae ab Innocentio X. sunt sequentes relatae in Bullar. Rom. Constitut. quae incipit *cum occasione* Kal Junii 1653

1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoquoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. Interiori gratiae, in statu naturae lapsae, numquam resistitur.

3. Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem

esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum est dicere: Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

PROPOSITUM v. VOTUM.

PROPRIETAS: Jus proprietatis. *Est legitima disponendi potestas de re tamquam sua in omnem usum a lege non prohibitam.*

2. Jus proprietatis aliud est *altum universale*, ut Communitatis, et Principis in bona privatorum, de quibus disponere possunt in casu necessitatis, et necessitate durante: Jus *infirmum*, quod habent privati homines in bona, quae ipsis sunt particulariter addicta. Hoc jus, aliud est Jus. *in re*; aliud ad *rem*. *Jus ad rem est: potestas legitima ad rem obtinendam, sibique obligandam*; hoc tribuit actionem non realem, sed personalem, quo persona laedens cogatur damna reparare. Tale est jus, quod quis habet in rem sibi venditam, sed non traditam. *Jus in re, est legitima potestas in re sibi tradita, et obligata*. Ut quis habeat jus in re requiritur: *justus titulus, ut res existat, ac traditio rei*: Ut aliquis, jus *ad rem* acquirat, sufficit *justus titulus*, nec exquiritur *rei existentia*, vel *traditio*.

3. Jus, aliud importat oppignorationem *rei*, et potestatem legitimam, qua res aliqua dicitur alicui oppignorata: Aliud importat dominium *rei*, ut, qui equum, agrum domum justo possidet titulo etc.

PROTONOTARIUS. De hoc consule Barbos. *L.* 1. *Jur. Eccles. c.* 2.

PRUDENTIA. *Est recta agendorum ratio, quae secundum honesti rationem, quid agendum, quidve fugiendum sit, proponit*, et duplex est. *Personalis*, quae solum bonum operantis attendit. *Gubernatrix*, quae attendit bonum Communitatis vel perfecte, et dicitur *Politica*, vel imperfecte, et *Economica* vocatur, qua Pater recte suam regit, geritque familiam.

2. Prudentiae per defectum opponuntur: *Praecipitatio*; *inconsideratio*, *inconstantia*, *negligentia etc.* per excessum,

prudentia carnis, *astutia*, *solicitudo temporalium*, *habet locum inter virtutes cardinales*.

PUBLICATIONES Matrimonii v. PROMULGATIO.

PUDICITIA, seu Castitas. *Est virtus*, *quae moderatur inordinatum concupiscentiae appetitum*; et triplex est Virginalis, Vidualis, et Conjugalis.

2. Dicitur Pudicitia, quia moderatur circa oscula, tactus etc. et quatenus pudori, qui intervenire in his solet, est conformis: Quia tamen una, eademque censetur virtus, circa praevia, et principale, hinc pudicitia commode ad castitatem reducitur: Idem dicendum de continentia, quae in se est ipsa castitas, et pudicitia. v. HOMICIDIUM: Not. 2.

PUPILLUS v. CONTRACTUS: TUTOR *n.* 3.

PURGATIO: *Nihil est aliud*, *quam manifesta probatio innocentiae super objecto crimine*: et duplex est. *Vulgaris*, *et Canonica*. Vulgaris est, quam vulgus, vel invenit, vel sequitur, ut cum quis subit judicium aquae frigidae, ardentis ferri etc. quae tamen a Sacris Canon. jussa sunt exulare; Videtur enim sic Deus tentari: Canonica illa est, quae sacris est comprobata Canonibus, ut cum de crimine infamatus quis jurat, se non esse tali crimine, vel macula coinquinatum, et testes compurgatores idipsum jurant.

PURGATORIUM v. INDULGENTIA *n.* 9.

Q

QUADRAGESIMA. *Est religiosa abstinentia in Ecclesia recepta, ante solemnitatem Paschae, ab Apostolis, et eorum successoribus ad nostra usque tempora observata, adiunctum habens ciborum delectum, et alia poenitentiae et virtutum opera incitans*. Dicitur *Quadragesima* a numero 40. dierum, quibus durat, ad imitandum numerum dierum, quem Salvator noster suo sacro consecravit jejunio, et, ut sic anni decimas solvamus Deo. Ratione Jejunii, est de Jure Divino: ratione temporis ex Traditione, est de Jure Canon. sed v. JEJUNIUM.

QUARTA FUNERALIS, seu CANONICA PORTIO est de Jure Canon. inducta ob Sacramenta, quae suis Parochianis Parochus ipse administrat, et ideo illi debetur de Jure.

2. De tali Canonica portione attendenda est cujusque Provinciae, et loci legitima, et rationabilis consuetudo: Quarta funeralis debetur Ecclesiae, in qua Parochianus consuevit recipere Sacramenta, et pietatis officia agere: Debetur Parochiae ubi habet domicilium.

3. Haec quarta funeralis debetur de iis, quae ratione funeris praebentur ab haeredibus defuncti, seu, quae ratione sepulturae obveniunt, et quacumque occasione funerum ad Ecclesiam perveniunt cum defuncti corpore; non autem de Missis, Legatis etc.

QUATUOR TEMPORA v. JEJUNIUM *n.* 7.

QUASI CONTRACTUS. *Est negotium, quod inter aliquos tacite sine expresso consensu gestum, obligationem parit simillimam obligationi Contractuum*.

2. Quasi contractus est multiplex. *Tutelae administratio*, quo Tutor, et Pupillus ad invicem obligantur: Tutor, ut Parentis gerat vices, pupillus vices filii: *Negotiorum gestio*, quo ministrator, et is, cui ministratur, obligantur, sicut Mandatarius, et mandans: *Rerum communio*, quo qui ha-

bent res communes obligantur ad invicem, sicut hi, qui inierunt societatem. *Haereditatis aditio*, quo qui adit haereditatem, et Legatarius obligantur ad invicem, sicut Donator, et Donatarius etc. v. ADITIO HAEREDITATIS.

3. In rerum communione neuter potest intempestive rem communem dissolvere, sed tenetur eam dividere juxta praescriptum donantis, si donator diviserit, si non diviserit, juxta consensum possessorum; si inter ipsos sic fuerit conventum, vel juxta sententiam Judicis, si inter ipsos non fuerit conventum.

R

RAPINA *Est manifesta rei alienae ablatio, inoito rationabiliter Domino*. Ideo rei sunt rapinae, qui decimas, et mercedem operariorum, vectigalia, et justa Tributa defraudant; qui ad usuram dant: qui cogunt ad inaequales contractus ineundos: qui stipendio sibi publice assignato non contenti, plus aliquid exigunt: qui foro cedunt; qui a mercatore merces pretiosas emunt, et solvere pretium negligunt, dum interea mercatorem ad inopiam, et decoctionem adstringunt, qui pauperes, pupillos, viduas oppressas, cum possunt, non juvant. Rapaces sunt Procuratores, et Notarii, falsas scribentes expensas, easque exigentes etc. Ideo.

2. Peccant mortaliter quicumque palam vel mediate, vel immediate bonum auferunt alienum, et committunt peccatum longe gravius, quam qui furatur: Ideo est circumstantia mutans speciem necessario in confessione exprimenda.

3. Pro cujuscumque casus solutione in hac materia, haec mihi semper regula fuit: Si res alienа surripitur extra extremam necessitatem peccatur, quoties Dominus est rationabiliter invitus: si surripitur in necessitate extrema peccatur, quoties infertur vis.

4. Potest etiam esse culpa levis attenta quantitate, et qualitate materiae, ideoque ad culpam gravem requiritur ea quantitas, quae, spectatis spectandis, infert grave damnum, et privat notabili utilitate: unde pro materia mortifera non potest statui eadem quantitas in omnibus furtis.

5. Qui cum intentione furandi notabilem quantitatem modicum quid ab uno, vel pluribus furatur, peccat mortaliter, toties, quoties minutum quid surripit: quia illa minuta furta fiunt ex affectu mortalia peccata.

RAPTUS v. IMPEDIMENT. *n.* 14.

REATUS *poenae* et *culpae*. Post patratum peccatum in homine, inter alia remanet *reatus*, idest, obligatio quaedam ad poenam ex actu peccaminoso praeterito contracta, et

duplex est: Et prout talis obligatio dicit ordinem ad Deum offensum, qui homini poenam decernit suo peccato correspondentem, et dicitur reatus poenae: Et prout ejusmodi obligatio ad poenam respicit ipsum actuale praeteritum peccatum, et dicitur reatus culpae.

RECEPTATOR. *Est ille qui securitatem, recursum, fiduciam, alteri praebet.* Sic, qui rem furatam, ut celet, recipit: qui a fure scienter emit, qui filiumfamilias recipit ad bona Patris consumenda: Advocatus qui causae patrocinatur iniquae: Omnes isti damnum resarcire tenentur, graviterque peccant etc.

RECIDIVUS. *Ille est, qui saepe in eadem relabitur peccata*: Isti non impertienda absolutio: Confessarius enim recte dubitare potest de istius dolore, proposito etc.

2. Potest recidivus verum habere dolorem, et efficax emendationis propositum, sed cum de his, certus esse non possit, ut supra, se gerere debet, suspectam enim et dubiam duxerunt Patres istiusmodi poenitentiam.

3. Praxis tamen saniorum Theologorum vult, dari casus, in quibus, citra dilationem, consuetudinariis, et recidivis possit impertiri absolutio, etiam extra mortis periculum, ut cum poenitens congrua adhibuit remedia ad extirpandum relabendi habitum: cum poenitens gravitatem non agnovit, et agnita, vehementer doluit: Cum media praescripta diligenter executioni mandavit, ac vitae emendationem ostendit: Sic loquendum de habituato. Est hic et sensus meus.

RECOGNITIO CORPORIS DELICTI. Episcopus debet permittere, etiam post humationem Cadaveris recognitionem, in casibus permissis, servatis servandis. Ita datur facultas exhumandi cadaver pro recognitione corporis delicti. Et Episcopus habet facultatem pro aliquibus casibus faciendi cadaverum recognitionem, ad effectum procedendi, etiam in Ecclesiis, et Conventibus Regularium etc.

RECURSUS ad S. Poenitentiariam v. MANTIS I.

RECURSUS pro incurrendis Censuris, sufficit recursus ad Judicem incompetentem contra Ecclesiasticam Jurisdictionem etc.

REDDITUS Ecclesiastici v. **BENEFICIUM: DECIMAE** etc.

REFECTIO v. **JEJUNIUM** *n.* 6.

REFUGIATI, quia ad loca sacra, vel Religiosa confugere solent, tam gaudentes, quam non gaudentes immunitate, et haec laedi potest, etiamsi Refugiati inde non extrahantur, et contra; ad dignoscendam, quandonam immunitas, quoad refugiatos laedatur, vel non, et excommunicatio incurratur? Dico: Si refugiati extrahantur, immunitas laeditur quoties sine Episcopi licentia extrahantur, immunitas laeditur quoties in eos vis intentatur.

REI ALIENÆ desiderium, est contra nonum Decalogi praeceptum, et attentis suis circumstantiis, ut plurimum est gravis culpa.

REGRESSUS. v. **BENEFICIUM.**

REGULA MORUM: Seu *actionum nostrarum moralium est duplex, remota, et proxima. Remota est lex extrinseca nobis praescribens, quidnam secundum rectam rationem sit agendum, vel fugiendum* v. **LEX.** *Regula proxima est ipsum dictamen rectae rationis, seu conscientiae nostrae, proxime nobis dictans quidnam sit conforme, vel difforme legi extrinsecae, ac proinde, bonum, vel malum, faciendum, vel omittendum* v. **CONSCIENTIA. ACTUS HUMANI** etc.

REGULAE ad cognoscendos gradus v. **CONSANGUINITAS** etc.

REGULARES v. *omnia per extensum in conc. Trid: sess:* 21. c. 12. Regulares ex privilegio Gregorii XIII. possunt celebrare Missam una hora ante Auroram, et infra horam post meridiem causa itineris, vel simili.

Not. Regulares utriusque sexus in toto Gallico Dominio, et in tota Italia ab anno circiter 1800. ad an. 1810, jacturam sic immemorabilem, ac universalem passi sunt, quod e Claustris ejecti, habitu spoliati, bonis confiscatis, sine capite, sine Duce, sine victu, sine vestitu, sine tecto, tamquam

profugi se habuerint super terram: Ah! Digitus Dei est hic; Oh imperscrutabilia Dei Judicia! oh illius viae investigabiles! . . . .

RELAXATIO Juramenti. v. JURAMENTUM n. 9.

RELIGIO. *Est virtus moralis divinitus infusa, qua honor Deo debitus redditur, rebusqae sacris in ordine ad Deum.* *Est. comm:*

2. Objectum Religionis Christianae est illud, quod per Religionem colitur: Objectum primarium est Deus unus in essentia, Trinus in personis, Humanitas Christi, quatenus Divinitati hypostatice unita: Objectum secundarium Religionis Christianae, sunt omnes Sancti, et omnes res sacrae, in quibus specialiter elucet aliquid Divinitatis, quales sunt Angeli, Animae Beatae, res Sacrae, ut Sacramenta, Biblia etc.

3. Objectum formale Religionis, seu motivum venerandi res Sacras; est supremae Divinitatis excellentia; quidquid enim cultu Religioso veneramur, hoc ideo facimus, quia in eo relucet, vel Divinitas, vel aliquid a Divinitate emanans.

4. Religio alia est *habitualis*, et est habitus inclinans ad actus Religionis, et avertens ab actibus oppositis. Alia est *Actualis*, et est actuale religionis exercitium, qui est actus, vel elicitus a Religione, vel ab ea imperatus.

5. Actus Religionis universim sunt *Adoratio*. *Oratio*, *Devotio*, *Sacrificium*, *Oblatio* v. *suis locis*.

6. Religioni opponitur per excessum *Superstitio*, per defectum *Irreligiositas*.

RELIQUIAE SACRÆ Sanctorum. Non idololatrica, sed pia est Ecclesiae consuetudo illa, qua rebus inanimihus specialem aliquem ordinem, vel ad Deum, vel ad Sanctos decentibus, cultus impenditur. *Oh quanta Sanctorum virtus* inquit Chrysost: hom. 8. ad Popul. Antioch. et S. Hieronym. Marcellam ho tando, ut Bethleem commigret. *Venerabantur quondam Judaei Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, et Propitiatorium et Arca testamenti. Manna, virga Haaron, et Altare aureum: Nonne tibi venerabilius videtur Sepulcrum Domini, quod quotiescumque ingredimur, toties*

jacere in Syndone cernimus Salvatorem? v. IMAGINES, SIMBOLA.

RENOVATIO SSmi SACRAM: v. EUCHARISTIA

RENUNCIATIO v. BENEFICIUM

RESERVATIO CASUUM. *Est negatio jurisdictionis circa aliqua peccata, seu' est peccatum, cujus absolutio non permittitur cuivis simplici, et inferiori Confessario*, sed ea reservatur, et manet penes Superiorem illius simplicis Confessarii, aut penes alterum Confessarium a Superiore, ad id specialiter delegatum.

2. Est potestas in Ecclesia, qua Superiores sibi aliqua peccata reservant, et a quibus Confessarii absque speciali licentia, et facultate, extra mortis periculum, absolvere nequeunt. Est haec universalis Ecclesiae praxis.

3. Sola peccata graviora, et atrociora, externa, certa, ac opere consummata, reservari solent, ac debent. Ideo reservatio non debet habere locum, sicut nec excommunicatio major pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, cum haec sint materia libera, et reservatio inutilis.

4. Potestas reservandi residet in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiae, in Episcopis respectu Diœcesium suarum quo nomine intelliguntur Praelati omnes territorium inde pendens habentes, et jurisdictionem quasi Episcopalem. *Trid. sess.* 14. *Can.* 11. Sic dicendum de Regularibus Praelatis, ut sunt Generales, et Provinciales.

RESIDENTIA. *Est in loco beneficii commoratio, munerumque Ecclesiasticorum functio*: nam Residentia, ajunt DD. debet esse laboriosa, non desidiosa; cum Beneficia ad Divinum cultum, et Ecclesiastica munia sint constituta.

2. Qui habet beneficium cum animarum cura tenetur residere in loco, idest exhibere personale ministerium in loco, in quo est beneficium. *Trid. sess.* 6. *c.* 1.

3. Nihil est, quod ab obligatione residentiae dispenset, nisi Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia et evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas. *Trid. sess.* 23. *c.* 1.

4. Episcopus, Abbas, Parochus, etc. debent per se ipsos, et non por Vicarios residere, quia cuilibet Pastori dictum est: *Pasce oves meas*.

5. Juxta *Trid. sess.* 23. *c.* 1., positis justis causis, ut superius est dictum extra tempus Adventus, Quadragesimae, ac solemniorum festorum, Episcopus abesse potest per duos, vel tres menses sive interrupte, sive continue. Canonicus pariter potest per tres menses abesse, nisi Ecclesia sua longius requirat Servitium *Trid* 16. Parochus autem residere debet propter officium suum. Dicitur, per duos menses abesse posse, sed verius nec per unam absque licentia abesse potest hebdomadam. Est enim, *ait Trid.* 16., ut Pasto*, ut Medicus, ut Nutritius nec agere debet more Mercenarii, qui oves suas relinquat in medio Luporum etc. Residentia est de Jure Div: *Trid*: *sess*: 23. *de Ref.c.* 1.

RESIGNATIO v. BENEFICIUM *n.* 16.

RESCISSIO: Contractus rescindi potest contraria conventione, interventu circumstantiae impedientis contractum resolventis Interpositione circumstantiae impedientis contractum, Ex interpositione nocumenti, etiam citra dolum, contrahentium, eventu casus improvisi: Ex conventionum violatione etc.

2. Citra formam in rescindendis contractibus servandam: Contractus rescindi possunt privata conventione, si omnes contrahentes consentiunt. Et si pars non aquiescat, pars laesa debet Judicem interpellare et rescissionem postulare contractus, sed non auctoritate propria etc.

RESTITUTIO, in meo sensu stricte sumpta, *est actus justitiae commutativae, quo res aliena vero Domino redditur, vel damnum reparatur illatum*. Hinc summatim.

2. Homo possidet bona corporis, bona anime, bona fortunae, bona spiritualia: Bona corporis, quibus anima corpori unitur, et sunt ea omnia, quae ad vitam corporalem spectant, ut corpus cum suis membris etc. Ideo proximo nocetur, quoad bona corporis, verberando, mutilando, occidendo etc. Bona animae sunt ea omnia, quae ad bonum conducunt; et

nocetur, contumeliis, detractione, calumnia, in honorando etc. Bona fortunae sunt omnes res exteriores, uti res immobiles, fundus, suppellectilia etc. et nocetur, aut decipiendo, aut retinendo, aut damnificando etc. Bona spiritualia, sunt ea omnia, que ad salutem conducunt, ut gratiae, virtutes Sacramenta etc. et nocetur, talibus donis, spoliando, aut impediendo etc.

3. Surgit ex hac doctrina generalis solutio pro quocumque casu. Restitutio locum habet primo in bonis fortunae: secundo in bonis corporis: Tertio in bonis externis, quae in honore, et fama constituuntur; Quarto in bonis spiritualibus. Idest, ut sit locus restitutioni faciendae, praecessisse debet laesio, vel corporis, vel fortunae, vel honoris, et famae, vel pietatis, et gratiae contra proximum nostrum.

4. Omnes illi, qui nocent proximo absque culpa Theologica seu peccato proprie dicto, excusantur ab omni restitutione coram Deo: a fortiori illi, qui nocent proximo, juste exequendo munus suum. Sic eximitur a restitutione ille, qui innoxie nocet proximo, quoad bona corporis: Qui occidit, percutit, mutilat omnino involuntarie, ut, qui occidit ductus amentia, abstractus phrenesi, sopitus somno: qui occidit hominem inculpabiliter, putans occidere feram etc. eximitur a restitutione, quia in his casibus nullatenus peccavit.

5. Illi omnes, qui damnum afferunt proximo, peccantes mortaliter contra virtutem diversam a justitia commutativa, sunt quidem rei coram Deo, sed non tenentur ad restitutionem damni proximo illati. Sic sola charitas violata non inducit obligationem restitutionis, eo quod sola justitia commutativa restitutionem exigit. Sic dives, qui eleemosynam negat egeno; Medicus, qui remedium negat aegroto, eximuntur a restitutione etc. Sic, qui turpiter quidem, sed non iniuste aequirunt aliquid, non tenentur ad restitutionem, modo per leges non obstet, quominus vera acquirant, ut supponitur, non violant justitiam commutativam. v. LENOCINIUM, MERETRIX etc.

6. Violatio solius justitiae distributivae non obligat ad restitutionem, nisi interveniat simul violatio justitiae commutativae, quia, ut supponitur, sola violatio justitiae commutativae obligat ad restitutionem. Sic inquit Silvius in provisionibus Beneficiorum, et Dignitatum Ecclesiasticarum. *Si quis, praetermisso notabiliter digniore, conferat Pastoratum minus digno, tenetur ad restitutionem damnorum, quae inde obveniunt Ecclesiae*, quia collator, inique distribuens beneficia Ecclesiastica, peccat erga Ecclesiam contra justitiam commutativam, tenetur enim ex officio providere Ecclesiis digniores Ministros. *Probabile vero est*, subjungit cit. Auctor, *quod non teneatur restituere Beneficium digniori, minus digno collatum, quia Clericus dignior, nondum habet strictum jus ad illud pastoratum, contra quem peccatur violatione solius justitiae distributivae, etsi violetur justitia commutativa respectu Ecclesiae etc.*

7. Qui violando justitiam commutativam nocent proximo per peccatum dumtaxat veniale, obligantur ad restitutionem, ut enim obtineatur remissio, damnum reparandum est, ut Infans, qui ante usum rationis ingens damnum intulit proximo rem pretiosam, vel frangendo, vel in flumen projiciendo etc, grandior factus, et actum revocans, tenetur ad restitutionem, et sub mortali, si damnum sit notabile, sub veniali, si damnum leve.

8. Illi cooperatores obligantur ad restitutionem, qui, peccantes contra justitiam commutativam, sunt efficax causa damni. Excusantur vero a restitutione, qui, vel non sunt damni efficax causa, vel si sunt, non peccavere contra justitiam commutativam.

9. Culpa civilis, licet proximo noxia: Si sit omnino involontaria, nec ad forum contentiosum deducta, ad nullam coram Deo restitutionem obligat: Si sit voluntaria, obligat coram Deo ad aequalem compensationem, etiam ante Judicis sententiam, est enim culpa Theologica, et obligat coram Deo. Si vero sit deducta ad forum contentiosum; sive voluntaria sit, sive non, post latam sententiam obligat pri-

mo ad aequalem compensationem damni illati inde, ad poenam illatam a Judice, ad nullam vero ante latam sententiam. *S. Thom.*

10. Necessitas extrema vel gravis excusat a restitutione, ad impossibile enim nemo tenetur. Sic necessitas extrema, vel tua, vel uxoris, vel filiorum, vel parentum, immo et aliquando fratrum, liberat te, quamdiu durat, ab omni restitutione, etiam si creditor eamdem patiatur necessitatem quia in extrema necsssitate omnia quoad usum sunt communia, et potior est conditio possidentis. Sic ingens damnum ex restitotione nascens excusat a restitutione, modo creditor simile damnum non patiatur, ob omissam, aut dilatam restitutionem.

11. Cessio bonorum excusat debitorem a restitutione, remanet tamen obligatus semper coram Deo: Legitima praescriptio excusat a restitutione, sicut compensatio legitima et libera, et non coacta condonatio, si excipias famam, quae condonari non potest.

12. Restitutio debet fieri, aut in natura, aut in aequivalente, et in foro interiori secundum damnum illatum, et in exteriori secundum mulctam inflictam. Si quis autem bona fide, accipiat rem alienam, nesciens esse alienam, potest de ea re, et fructibus ejus, quasi de sua disponere, quia est possessor bonae fidei. Si vero dubius sit, tenetur Dominum inquirere, et restituere.

13. Demum quoad praeparationem animi, statim restitutio facienda est; quoad executionem, facienda est tempore congruo, et toties restitutio, aut omnino omiti potest, aut ad tempus suspendi, quoties imprudenter facta noceret spiritualiter, vel ei, cui fieret, vel ei, a quo fieret, et quaerenda media, quibus absque ullo nocumento spirituali fiat restitutio.

RESTRICTIO MENTALIS v. EQUIVOCATIO

RESURRECTIO. Mortuus, esto miraculose suscitetur, non recuperat neque uxorem, neque beneficium: non tamen est rebaptizandus, vel ordinandus *Glossa c. 2. licite.*

REUS v. SENTENTIA.

REVELATIO. Secretum in materia gravi, vel levi, quod sacramentali sigillo scitur, certum est nunquam posse revelari sub peccato gravissimo, etiamsi peritura esset Respublica, Regnum etc.

2. Secretum vero, quod sub naturali sigillo scitur tantum esto ab uno communicetur, et acceptetur ab altero veluti sub confessionis sigillo, cum per hoc Sacramentale non evadat, ratione fidei datae, revelari non potest, sine gravi, vel levi culpa juxta materiam: et quod de revelatione dicitur, intelligendum etiam de Inquisitione secreti, quae fit per aperitionem literarum, lectionem Scriptorum, nisi id fiat a Superiore, vel ab alio jus habente, qui prudenter dubitet in illis, aliquid contra se contineri. Hinc.

3. Arbiter casuum sic se gerat: si revelatio, vel reticentia secreti cadit in damnum notabile alterius, est illicitum semper: Si cadit in damnum notabile alterius, est illicitum quoties scienti inde incomodum grave eveniat; alias licita est revelatio.

REVOCATIO donationis, Testamenti. etc. v. DONATIO. v. TESTAMENTUM etc.

RITUS Sacramentorum. *Sunt actus externi Religionis, ab Ecclesia instituti ad decentem, et devotam Sacramentorum administrationem. Trid: sess: 22. c.* 5, et hos mutare, vel omittere, est ex genere suo gravis culpa. *Trid. sess. 7. can.* 13. quia tenemur Ecclesiae in omnibus obsequi.

RIXA v. IRA.

ROGATIONES v. STATIONES *n.* 5.

ROMANUS PONTIFEX Jure Divino est primus Pastor et caput totius Ecclesiae, cum ipsa successio sit de Jure Div: et ordinarium officium universam Ecclesiam, summae cum potestate regendi, non ab hominibus, sed a Deo immediate fuerit institutum. Ideoque Primatus Romano Pontifici concessus non fuit a Costantino Magno, neque a Pipino, vel Carolo Magno, vel ab aliis principibus, ut volunt Haeretici, et Novatores; non enim potuerunt isti conferre potesta-

tem, qua carebant, sed studuerunt solummodo colere, firmare tueri a Christo, Petro, ejusque successoribus, jam collatum. Sed vide v. *Epitome Theologic: ibi.*

RUBRICÆ Missalis, multiplicis generis sunt: Aliae sunt *directoriae* tantum; aliae *obligatoriae*, vel graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem materiae, et significationis intentae ab Ecclesia.

2. *Directoriae* sunt sequentes. Quod Sacerdos celebraturus prius orationi vacet: quod praemittat preces, quae dicuntur *Praeparatio ad Missam*: Quod Matutinum ante Missam cum Laudibus persolvat, dum officium a Missa discrepat.

3. *Obligatoriae* sunt, quod inter se vestiendo recitet solitas preces: Induat vestem talarem: Quod recitet Missam Officio conformem in diebus duplicibus, in quibus unica potest dici Missa de Requiem, corpore praesente. Quod Missam celebret sine intermissione, nisi causa gravis urgeat: Quod nihil detrahat, aut addat eis, quae in Missali sunt praescripta. v. etiam ORNAMENTA ALTARIS.

S

SABBATUM. Est ultimus hebdomadae dies, significans diem illum septimum, quo Deus Creator, Completa sex diebus creatione Mundi, quievit *Gen.* 2. *n.* 2.

2. In Testamento veteri Sabbatum erat dies festus, designatus cultui Divino: In novo autem fuit abrogatus, et pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominicae, unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominicae, et aliter facientes excommunicantur. *Conc. Laod.*; *c.* 29., propter multa mysteria a Deo tali die operata, et praecipue in memoriam Resurrectsonis Domini.

3. Hujus, et aliorum festorum sanctificatio triplici firmatur, et tuetur jure, Naturali, Divino, et Ecclesiastico: Haec sanctificatio in multis consistit, In cessatione ab operibus servilibus: In operibus Christianae charitatis erga Deum, et proximum etc. v. FESTA. DIES FESTI.

SABELLIANUS v. ATHEUS.

SACERDOS *ille est, qui ab Episcopo ritè ordinatus, characterem Sacerdotalem recepit, quo habet potestatem consecrandi verum Corpus, et Sanguinem Christi, ac remittendi, et retinendi peccata. Trid. sess, c, et can.* 1.

2: Sacerdotalis Ordo a Christo Incoepit, et per ipsum a Petro et dicitur Sacerdos, quia Sacrum dat: Sacerdos non potest fieri denno Laicus, per ablationem characteris. *Trid*: 16. etsi sit pravus non perdit Ordinem, sive characterem, et quantumvis peccator, remanet Sacerdos, et validè Sacramenta conficit, sed v. ORDO.

Not: Ante annum 255. Sacerdos ordinarie. Sacra faciebat suis propriis vestibus solummodo indutus.

SACERDOTIUM v. ORDO. *n.* 16.

SACRAMENTA v. MANT. 2. GRATIA etc.

SACRAMENTALIA nihil aliud sunt, quam *res aut actiones, ad Dei cultum ordinatae, et ad hominis sanctificationem ducentes.* Communiter sunt sex. *Orans* idest quotidia-

na fidelium oratio. *Tinctus* aqua benedicta; *Edens* Eucharistiae susceptio. *Confessus* idest confessio, quae in Missae, Primae, et Completorii initio fit. *Dans* Eleemosyna *Benedicens* Episcopi benedictio etc.

SACRIFICIUM proprie acceptum: *Est oblatio externa, rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum dominium Dei, el subjecto sacrificantis* etc.

2. Sacrificium Missae definitur. *Oblatio externa soli Deo facta a legitimo Ministro, qua res sensibilis ad testandum supremum Dei dominium, destruitur, vel immolatur.*

3. Sacrificium, quadrupliciter sumitur. *Latreuticum* cujus finis est solus Dei cultus, et honor. *Propitiatorium*, quod pro consequenda culparum venia offertur. *Eucharisticum*, quod Deo immortali, pro beneficiis acceptis offertur. *Impetratorium* eo fine oblatum, ut novum aliquod obtineatur beneficium.

4. Loquor hic de Sacrificio Eucharistico, et quidem: Eucharistia est verum, ac proprie dictum Sacrificium. *Trid. sess.* 22. *can.* 2. Est enim Sacrificium, simul et Sacramentum sub diverso respectu, nempe est Sacramentum, quatenus tendit ad sanctificationem hominis efficiendam: Est etiam sacrificium, quatenus directe, et primario tendit ad cogcoscendum supremum Dei dominium in omnes creaturas.

5. Hujus Sacrificii essentia tota consistit in sola consecratione, nam sola consecratio est actio, quam Sacerdos in persona Christi exercet dicens. *Hoc est Corpus meum* etc. et sic omnia habentur ad Sacrificium necessaria. Per eam enim Christus Patri solemniter offertur, non per verba, sed per ipsammet actionem. Res oblata sensibilis est per externas panis et vini species. Adest legitimus Minister, nempe Sacerdos, Mystica victimae immotulatio, quatenus vi verborum, Corpus, et Sanguis Christi sub panis, et vini speciebus, separatim consecrantur, esto propter naturalem connexionem, nec corpus sine sanguine, nec sine corpore sanguis existat. *Trid. sess.* 22. *con.* 1. 2. 3.

6, Ad essentiam Sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio: Nam in iis, quae sunt institutionis Divinae, quid-

quid est necessarium, Jure, et praecepto Divino ad essentiam pertinet rei institutae.

7. Efficacia, et valor Sacrificii Missae, comprehendit omnia antiquae legis Sacrificia. Nam 1. Est *Latreuticum*, offertur enim Deo, ad testandum supremum ejus in omnes creaturas dominium. 2. Est *Eucharisticum*, nam offertur in gratiarum actionem, pro acceptis beneficiis. 3. Est *Impetratorium*, nam habet vim impetrandi omnia beneficiorum genera in hypothesi quod ex Dei ordinatione conferant ad salutem: *Pro infirmis, et terrae, et Maris, et universi orbis fructibus sacrificamus*, ait Chrysost. hom. 71. in Joan. 4. Est *Propitiatorium*, quia est institutum in remissionem peccatorum. *Trid. sess.* 22. *can.* 3. Duo postrema Lutherani negant, et Calvinistae, ne immolationi Crucis fiat injuria.

8. Valor Sacrificii Missae est infinitus, ex parte rei oblatae, et quoad sufficientiam; nam idem est cum Sacrificio Crucis. *Trid sess.* 22. *c.* 2. Est autem finitus, quoad applicationem, quia, ut magis fidelium augeatur pietas, et frequentior hujus Sacrificii procuretur celebratio, Christus non vult meritum suae passionis applicare secundum totam latitudinem virtutis suae, et constat ex praxi Ecclesiae, quae plures permittit celebrari Missas, ad eamdem rem impetrandam, et ex propositionibus a Summis Pontif. Damnatis.

9. Minister hujus Sacrificii, est quisquis ex hominibus assumptus, qui Christo principali, et ipsius nomine, et auctoritate Sacrificium offert. Christus enim sui Corporis, et Sanguinis Sacrificium jugiter offert, *ipse offerens et oblatio Sacerdos in aeternum*. Solus Sacerdos est Sacrificii Eucharistici Minister, quia solis Sacerdotibus, idest Apostolis, suisque in Sacerdotio successoribus dictum est: *Hoc facite* etc. Sacerdos ideo, qui nunquam, vel fere nunquam celebrat, graviter peccat, quia tanto muneri sponte suscepto in re gravi non satisfacit, cum Jure Divino sub mortali teneatur aliquando celebrare *Trid, ib.*

10. In Missae applicatione sufficit habitualis intentio, non retractata, nam illa applicatio se habet per modum donationis, quae valida est, donec retractetur.

11. Sacrificium offerri potest pro universis viventibus haereticis, excomm: Paganis etc.; pro iis enim omnibus offerri potest Sacrificium *Imperatorium*: vetat tamen Ecclesia, ne eorum nomina publice recitentur in Sacrificio, sed solum per secretam animi intentionem est offerendum.

12. Contra Lutheranos, et Calvinistas, dico, pie, et utiliter offerri Sacrificium pro Defunctis in Purgatorio degentibus *Trid ib. can. 3.*

13. Non licet pro damnatis Sacrificium offerre, quia in Inferno nulla est redemptio, ideoque inutiles essent preces, quae pro hisce miseris funderentur. etc.

14. Sed nec Sanctis Sacrificium offerri potest, quia cultus est *Latriae* soli Deo debitus: Sed nec pro Sanctorum suffragio, vel subsidio, quia nihil poenae, vel culpae superest ipsis luendum: licet tamen pro Sanctis Sacrificium offerre, ut pro collatis in eos beneficiis Deo grates rependamus, atque suis nos apud Deum adjuvent suffragiis. *Trid. ib. can. 3.*

15. Missa privata, quae sine cantu, tum ea, quae privatis in locis peragitur, tum in qua nemo, praeter Sacerdotem, Eucharistiam sumit, licita est, quia veram Sacrificii rationem habet, quia nullum adest praeceptum, ut simul cum Sacerdote adstantes Eucharistiam sumant.

16. Sacerdos potest pro Missa stipendium accipere: Pro honesta substentatione: Pro labore extrinseco, ut tali hora sit celebranda, tali loco etc. Hoc autem stipendium ab Episcopo remanet determinandum.

17. Quae fuerit Ecclesiae consuetudo circa retributionem pro celebratione Missarum, paucis accipe. Temporibus Apostolorum Fideles offerebant panem, et vinum pro Sacrificio, et quod supererat cedebat in usum Ministrorum, et pauperum; qui mos adhuc viget in Missis defunctorum. Non solum panis et vinum offerebatur, sed et alia, ut constat ex can. 4. Apostolor: *Offerri non liceat aliquid ad Altare prae-*

ter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et Thimiama, idest incensum, tempore, quo Sancta celebratur oblatio. Postea loco panis, et farinae denarii oblati sunt. Statutum est denarios formari, ut populus pro oblatione farinae denarios offerret. Tandem usu statutum est, pro celebratione certum statueretur stipendium: et a quibusdam Episcopis taxatum est honorarium pro Missa celebrata, quod honorarium citra Simoniam accipitur. *Dignus est enim operarius mercede sua*, ait Christus, *Luc.* 10. 7. Aequum est enim, ut, qui spiritualia seminat, metat temporalia, nemo enim militat stipendiis suis. Qui enim dat spiritualia hominibus, expectans 1. Aeternam retributionem. 2. Temporalem contributionem ab hominibus, non peccat, nec est Simoniacus.

SACRILEGIUM *Est violatio, seu indigna rei Sacrae tractatio*, et tripliciter committitur; vel contra *personam Sacram* vel contra *locum Sacrum*, vel contra *rem sacram*. Ad primam Sacrilegii speciem pertinet: *Percussio Clerici, Fornicatio* ordine Sacro initiati, et cujuslibet votum castitatis habentis: Hisce addunt D.D. protractionem Ecclesiasticae Personae ad Tribunal Saeculare; incarcerationem etc. contra privilegium Fori. Ad secundam speciem pertinent ea omnia, quae fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut destructio malitiosa loci sacri, eversio Altarium etc. Ad tertiam speciem pertinent illa peccata, quibus illae res sacrae injuriose tractantur, ut Sacramenta, Vestes, Vasa, Imagines etc. Est ex genere suo mortale et solum per accidens potest esse veniale.

2. *Sacrilegium carnale*, seu *luxuria*, qua vel persona Deo sacra, vel locus sacer per actum venereum foedatur, est peccatum mortale tanto gravius, quanto persona est Deo solemniter consecrata, et locus est Sanctuario propinquius, et probatur ex comparatione Sacrilegii cum fornicatione, ex poenis contra illud vitium destinatis, ex Script: et Jure Canonico, quod Clericos lapsos e suo dejicit gradu.

3. In uno Sacrilegio possunt esse diversae species luxuriae ob diversas deformitates, quae in uno, eodemque actu concurrunt. Sic, si quis abutantur persona conjuncta sibi se-

cundum spiritualem cognationem committit Sacrilegium ad modum Incestus: Si Virgine Deo sacrata abutatur est Sacrilegium per modum adulterii, si filiae spiritualis, stuprum sapit; si violata, raptus spiritualis erit.

4. Sacrilegium est gravius, si utraque persona sit Deo sacra. Gravius etiam, si commissum per personam ligatam voto solemni. *D Thom*: 2. 2. *q*. 88. *a*. 7. *ad* 1. Gravissimum Sacrilegium Sacerdotis cum filia spirituali, abutitur enim Sacramento Poenitentiae ad scelus patrandum v. FURTUM etc.

SANTIFICATIO FESTI. Est praeceptum *Naturale*, et *positivum*. *Naturale* quatenus jubet, ut deputemus aliquos dies cultui Dei *Memento*, *ut diem Subbati sanctifices*: *Positivum* quatenus tale tempus eligitur, potius quam aliud, tale exercitium, potius quam istud, et quia Apostoli, et Ecclesia loco sabbati substituerunt diem Dominicam v. SABBATUM. Sanctificatio Festi obligat Cristianos sub culpa gravi.

SATISFACTIO Sacramentalis *Est voluntaria castigatio tum ad compensandam iniuriam Deo per peccatum illatam, tum ad redimendam poenam graviorem per idem peccatum promeritam*. Bacchantur Pseudo-Reformati. Dicentes, opera penitentiae laboriosa, rem esse mere politicam, sed in cassum. Dimisso enim peccato (*ut alibi dixi*) quoad culpam, poenamque aeternam, non semper tota remittitur temporalis poena, ut patet ex David adulterio, qui, esto esset a Deo veniam consecutus, gravem tamen expertus est poenam, in morte filii. Laboriosa penitentiae opera verae satisfactionis rationem habent, et sensus hic est omnium Ecclesiae Patrum. *Trid. sess*. 14 *c*. 5.

2. Sacerdos ideo imponere debet satisfactionem, sive poenitentiam correspondentem criminum gravitati, ut declarat *Trid. sess*. 14. *de Poenit*. *c*. 8.

3. Poenitentia ab uno confessore imposita, potest ab alio mutari, dummodo id fiat in S. Tribunali, et justa de causa, et *iterata confessione*.

4. Satisfactio Sacramentalis habet virtutem specialem ex opere operato, remittendi aliquam partem poenae tempora-

lis peccatis debitae. Et, esto facta in peccato mortali, sufficit ad integritatem Sacramenti Poenitentiae, atque ad implendum Confessarii praeceptum de persolvenda poenitentia.

5. Poenitens non potest congruente a respuere poenitentiam sed sub peccato tenetur, sibi a Confessario impositam adimplere, et per se ipsum, non vero per alium: Opera, quae pro poenitentia injunguntur, debent esse honesta, et moraliter bona, et tria sunt generalim; *Oratio Jejunium*: *Eleemosyna* v. POENITENTIA.

SCANDALUM a S. Thom definitur: *Dictum, vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*. Divitur in *Activum*, sive *datum*: et *Passivum*, sive *acceptum*, quod est peccatum proximi ex scandalo dato consecutum. *Activum* duplex est. *Directum*, cum aliquis dicto, vel facto, proximi peccatum intendit. *Indirectum*, ubi aliquis proximi lapsum non sibi proponens, quaedam dicit, vel facit, quae aliis sunt occasio peccati: Scandalum passivum pariter duplex est. Unum, dicitur *Pusillorum*, quod aliquis ob ignorantiam, vel infirmitatem sumit ex dicto, vel facto alterius, quamvis rectum sit, vel indifferens. Aliud appelatur *Pharisaicum*, quod ex sola accipientis malitia contingit, Ideo

2. Scandalum activum est peccatum grave, et tanto gravius, quanto gravius est peccatum, in quod cadunt scandalizzati: omnis enim actio, vel omissio minus recta, quae vere est vel probabiliter censetur, esse occasio ruinae proximi, est peccatum scandali, etiam si agens non intendat expresso ruinam illam *S. Thom*: 22. *q*. 43. *a*. 1. *ad* 4. Facere coram aliis aliquid, quod non est malum, sed habet tantum speciem mali, est peccatum scandali.

3. Quicumque peccato scandali peccat, praeter peccatum personale, inficitur aliorum peccato, quia hic est scandali effectus. *S. Thom, ib.*

4. Quicumque peccat peccato scandali, tenetur in confessione aperire non tantum personale peccatum, sed circumstantias scandali, et numerum, et qualitatem personarum

quae tali scandalo, vel ceciderunt, vel cadere potuerunt, quia scandalum est circumstantia varians specifice peccatum.

5, Qui peccat peccato scandali, tanto gravius peccat, quanto eminentiorem habet dignitatem, quia dignitas personae multum facit ad peccatum suadendum. Hinc gravius peccant Clericus; Magistratus: Parentes: Magistri: Pastores, qui sunt *sal terrae. lux mundi* etc.

SCHISMA *Est voluntaria ab unitate Ecclesiae separatio*, ita ut aliquis communionis vinculum ruperit vel cum visibili Ecclesiae capite, vel cum membris eidem coniunctis. Schismaticus ideo perperam diceretur, qui pacem sincere vult, et concordiam. Gravissimum crimen est, quia unitati Ecclesiae opponitur, quia ab aeterna excludit salute. sed

SCHISMATICUS, ut aliquis dicatur talis requiritur ex parte personae non solum, quod dissentiat in fide, vel in disciplina a fidelibus, sed quod per rebellionem, auctoritatem respuat Ecclesiae. *S. Thom*: 22. *q*. 38. *a*. 1. *ad*. 2. Hinc attente distinguendum est inter scripta, et Personam; nec statim ut talis habendus, qui de schismate accusatur. Non enim omnes, qui diversè circa fidem, aut mores, aut disciplinam sentiunt, aut scribunt sunt schismatici: sed hi solum, qui diversa sentientes, Ecclesiae auctoritati renuunt subjacere. Igitur.

2. Ut aliquis dicatur Schismaticus, sufficit, quod in rebus pertinentibus ad disciplinam, ab Ecclesia pertinaciter dissentiat. Schisma in haeresim degenerat, si fidei dogmata impugnentur *S. Thom*: 2. 2. *q*. 39. *a*. 10. *etc*.

SCRUPULUS v. CONSCIENTIA *n*.23.

SCURRILITAS v. GULA.

SECRETUM. Intelligo Confessionis sigillum, et dico, quod Confessarius ad hoc tenetur jure naturali, Divino, et Ecclesiastico *Later. IV*. Ad confessionis sigillum ea omnia pertinent, quae per confessionem cognoscuntur peccata, sive gravia, sive levia, sive alia quaecumque, ex quarum revelatione, infamia, vel molestia in poenitentem, odium in Sacramentum derivaretur.

2. Ex consensu Poenitentis, licet Confessionem revelare. Cum enim possit poenitens peccatum suum alteri revelare, potest etiam facultatem hanc Confessario dare: Ad hoc tamen necesse est, ut extra Confessionis Tribunal, Confessarius de peccatis auditis cum poenitente colloquatur, alioquin invisa, et odiosa poenitenti fieret. Haec doctrina multis probatur, sed bona venia parum arridet. Enimvero certum est, quod

3. Nullus est omnino casus, in quo, vel ad vitandum malum tum generale, tum particulare, vel ad inducendum bonum tum generale, tum particulare, infringere liceat, vel directe, vel indirecte confessionis sigillum, quia suapte natura malum est; et non sunt facienda mala, ut veniant bona. In nullo ergo casu potest confessarius revelare confessionem, vel directe, vel indirecte, aut facere aliquid, quod possit indicare peccatum in confessione revelatum; et interrogatus a Judice, sive Ecclesiastico, sive civili, de auditis in confessione negare debet, et jurare nescire se, ut homo, sed tantum, ut Deus, interrogatur autem, ut homo, non ut Deus. *S. Thom: Suppl. q. 11. a. 1. ad 3.*

SEDITIO *Est conflictus multitudinis contra multitudinem ejusdem communitatis.* Consulentes, excitantes non vacant culpa gravi, vel levi, juxta rei gravitatem, vel levitatem.

SENTENTIA v. PROCESSUS

SEPULTURA *Est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie sepelliuntur.* Sed ipso jure Ecclesiastica privantur sepultura: Pagani, Judaei, Infideles, Heretici, eorum fautores; Apostatae, Schismatici, Excommunicati excommunicatione majori; nominatim interdicti, et in interdicto morientes. 2. Seipsos occidentes ob iram, et desperationem, *excipitur insania,* si ante mortem non dederint signa poenitentiae. 3. Morientes in duello, etiam si dederint signa poenitentiae. 4. Manifesti et publici peccatores, decedentes impoenitentes. 5. Qui non susceperunt Sacramenta confessionis, et communionis Paschalis, et absque ullo si-

gno interierunt. 6. Infantes absque baptismo morientes. 7. Ubi dubium in praedictis est, Ordinarius consulatur.

SEQUESTRATIO *Est rei litigiosae sequestro commissa custodia auctoritate Judicis.* Ideo ad eadem tenetur sequestratarius, ad quae tenetur depositarius. Si res deposita sit immobilis, ut fundus etc. tenetur sequestratarius eam rem frugiferam efficere, et fructum, deductis impensis, vendere, et pretium Judici tradere: Si sit mobilis, ut fructus fundi etc., tenetur vendere, et pretium in manu publica deponere, ut cedat in bonum illius, ad quem res sequestro commissa pertinet.

SERVITUS, *active* sumpta, est jus, quod quis habet in re aliena, ut sibi serviat; *passive* sumpta, est subjectio rei alienae, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.

SIGILLUM *Confessionis* v. SECRETUM.

SIGNUM CRUCIS. Hujus in ecclesia usus est antiquissimus, *Non enim pudeat*, ait Cirill. Jerosol. Cathech. „ *non* „ *pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter* „ *digitis signaculum imprimamus; in aliis omnibus crux* „ *fiat in panibus comedendis, et in poculis bibendis, et in* „ *ingressu, et egressu; ante somnum recumbendo, et sur*-„ *gendo, eundo, et quiescendo .., Signo isto utere, tum* „ *edens, et bibens, loquens, ambulans, et ut simul dicam* „ *in omni re* „ Et Tertull. de corona militis c. 4. *Quaecumque nos conversatio exerceat, frontis Crucis signculo terimus.* Et Hier. ad Eustoch. c. 16. *ad omnem actum; ad omnem incessum, manus pingat Crucem.* Possumus ergo Crucis signum, vel manibus efformare, vel Imaginibus depingere, vel sculptilibus elaborare, uti perenniter in Ecclesia observatum est.

SIMONIA defin. a. *S. Thom. Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, aut spirituali adnexum.*

2. Dividitur in *Mentalem, Conventionalem, et Realem.* Mentalis illa est, quae solo animi consensu perficitur, nulla interveniente conventione, sive expressa, sive tacita. Hujusmodi Simoniae est reus, qui temporale quidpiam alteri dat, ea

mente, ut eum ad conferendum sibi beneficium moveat, etiam sine ulla istius consilii significatione. *Conventionalis* illa est cum duo, vel plures pactum tenent de re spirituali emenda, vel vendenda. *Realis illa est*, in qua intervenit conventio expressa, vel tacita, ut qui beneficium recipit, postea in quempiam alium transferat; seu est conventio de danda re spirituali pro temporali, et e contra, et saltem inchoative, completa spirituali scilicet data, et temporali, saltem ex parte recepta, et haec realis, et completa Simonia est.

3. Est, et alia species Simoniae, quae dicitur *Confidentialis*, et committitur, cum quis alicui dat, vel confert, vel resignat beneficium Ecclesiasticum cum certa confidentia, et obligatione, ut, tanquam ex debito, illud sibimet, vel Nepoti etc. certo tempore iterum cedat, resignet etc.

4. Simonia est gravissimum peccatum, ut patet ex innumeris Canonibus, Simoniam profligantibus, et est verum Sacrilegium.

5. Pretium, seu munus Simoniacum illud est, quo res spiritualis emitur, vel venditur, et triplex a Iure cognoscitur. v. MUNUS.

6. Nunc de Simoniae materia. Haec potest esse in Verbi Divini predicatione: In Sacramentorum administratione: In Ordine conferendo: In Reliquiarum venditione etc. ut inferius parebit.

7. Tribus poenarum generibus Jus Ecclesiasticum in Simoniacos animadvertit. *Privatione* rerum, quas quis Simoniace adeptus est. *Restitutione* pretii, quod est acceptum. *Excommunicatione* latae sententiae, si sit Laicus, *Suspensione* ab exercitio Ordinum si Clericus. Ut autem Simonia hisce subjiciatur poenis, debet esse realis, et completa: Debet esse vel in ordinis Sacramento, quales sunt Majores, et Minores Ordines, vel in Beneficiis, qualia sunt Episcopatus, Abbatia, Praebenda, Prioratus, et Praelatura regularis, vel in ingressu, aut professione Religiosa. Ex Canonistis, et Theologis, non alia admittitur Simonia poenis Canonicis subjecta, nisi ea, quae est realis. Sic Simonia commissa in vasis sacris emendis, vel

vendendis, in Sepulturis in Concionibus, in Missis etc. est quidem grave peccatum, sed non poenis subjectum canonicis

8. In quibus autem casibus committatur Simonia, tum mentalis, tum conventionalis, tum realis, dignosci potest ex hac fundamentali propositione. *Crimen Simoniae incurritur, quotiescumque ex pacto, vel tacito, vel expresso datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quacunque mente detur, si interveniat contractus, vel implicitus, vel explicitus*.

9. Constat igitur ex dictis, quod vendere, aut emere aliquid spirituale, vel in natura sua, vel in causa, vel in effectu, vel in unione, sit Simonia. Spirituale, inquam, *in natura*, uti sunt gratia gratis data, gratum faciens etc. *In causa*, uti sunt Sacramenta, et Sacramentalia. *In effectu*, ut est exercitium actuale potestatis spiritualis. *In unione*, uti sunt Beneficia, Juspatronatus etc. Fusius Theologi; ego brevitati studeo.

SOBRIETAS cum S. Thom. *est virtus, quae, secundum rectam rationem, moderatur inordinatum appetitum, usumque potionis vim inebriandi habentis*. Huic contraria est EBRIETAS.

SOCIETAS prout est Contractus. *Est duorum, vel plurium conventio aliquid contribuendi ad commune lucrum, et damnum, secundum proportionem rerum contributarum*.

2. Ad justitiam hujus societatis, quatuor sunt necessaria: 1. Ut negotiatio sit licita: 2. Ut pecunia vere, et realiter ponatur ad aliquam negotiationem, quae nata est ferre fructum, alias esset simplex mutuum. 3. Ut lucrum, et damnum sociis sint communia pro rata parte, quam quilibet in societate contulit. 4. Ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis ipsi peritura, si perire contingat.

3 Utrum autem contractus triplex sit licitus, seu contractus, quo pecuniam in societatem conferens, pacifiscatur cum altero socio, ut quidquid contigerit, sibi sors sua integra reddatur, cum certo lucro, sed minore eo, quod probabiliter sperare potuisset: Contractus hic est ipso facto damna-

tus tamquam usurarius a Sixto V. Bulla *Detestabilis*, quia contractus societatis, cui accedit assecuratio sortis destruitur, et in mutuum degenerat, cum pecunia sic assecurata transeat in dominium assecurantis, qui de ea pro libito disponere potest.

4. Contractui societatis, potest addi contractus emptionis, lucri incerti majoris pro lucro incerto minore; quia spes lucri est pretio aestimabilis, ideoque vendi potest. Modo tamen capitale non assecuretur a socio, nam est de essentia societatis, ut conferens pecuniam, vel alias res in societatem, vel a se collatas, subsit periculo, nam per illud solum onus, res de se sterilis potest esse fructifera, ut cum multis sentit *S. Thom.* 22: *q.* 78. *a.* 2. *ad* 5.

SODOMIA. Duplex est. *Imperfecta*, sive inordinatus concubitus, sive extra, sive in matrimonio, quoties Prolis impeditur generatio. Est peccatum lethale pollutione gravius; Inter conjugatos est turpius ob injuriam Sacramenti. Haec non videtur esse casus reservatus, ubi Sodomia reservatur. Sodomia *perfecta*, seu concubitus cum persona ejusdem sexus, est grave peccatum plus, quam pollutio, inordinatusque concubitus.

2. Lex Mosaica Sodomitas morte plectebat. Evangelica a Regno coelorum excludit, Civilis flammis adjudicat. Canonica Clericos a Clero ejicit, et in monasterium detrudit, laicos excommunicatione plectit. Nunc Clerici Sodomitae ipso jure sunt privati privilegio Clericorum, dignitate, Officio, et Ecclesiastico beneficio.

3. Gravius peccat, qui turpiter agit, quam qui patitur, ut vulgo docetur ab omnibus, sed quidquid sit. Sodomia est gravius peccatum, adulterio, incestu etc.

SOLICITATIO. *Est provocatio Poenitentis ad turpia, sive verbis, sive factis.* Quinque modis fit Solicitatio. *Immediate* ante Confessionem: *In actu* Confessionis: *Immediate post* Confessionem: *Occasione* Confessionis: *Praetextu* Confessionis.

2. Poenitens solicitatus habet gravem obligationem denunciandi Confessarium solicitantem in Confessionali ad actus inhonestos, adeo ut, etiam alius confessarius habens desuper notitiam, tenetur praecipere penitenti, ut hujusmodi denunciet. Sic Greg. XIV. Hoc praeceptum obligat sub gravi, immo aliquandb sub poena Excommunicationis.

3. Non tamen e contra Confessarius, si ad inhonesta ipse solicitetur, tenetur denunciare, quia Pontificia Constitutio loquitur de Confessario solicitante, non solicitato.

4. Confessarius solicitans, absolvi potest a quocumque Sacerdote simplici Confessario, dummodo non sit in Dioecesi casus reservatus. Mulier solicitata, vel homo absolvi nequit, si transierit tempus in Edicto inquisitionis praescriptum, quod ordinariè est dierum. 12.

SOLUTIO proprie sumpta, *est idonea, ac sufficiens debiti praestatio, seu satisfactio, tempore et loco convenienti legitime facta.*

2. Ad solutionem tenetur, quicumque est debitor, sive obligatus: Debitum enim, sive obligatio non tollitur, nisi solutione, et satisfactione.

SOLUTIO indebiti, est *cum alicui per errorem solvitur tamqnam debitum, quod revera non debetur*. Ideo, qui recepit indebitum; si a sponte offerente recepit, tenetur ratione indebiti ad restitutionem; si vero se creditorem simulavit, et exegit instando, et urgendo, tenetur furti. *Comm.*

SOMNIUM, v. DIVINATIO *n.* 2. 3.

SOMNUS *est ligamentum omnium sensuum ad animalis quietem, et salutem institutum*. Arist. De hac materia v. *Opusculum a me nuper editum, cujus titulus. La mia dimora in Parma*.

SORS v. DIVINATIO *n.* 10.

SORTILEGIUM v. DIVINATIO *ibid.*

SORTILEGUS, ille est, qui, Religionis praetextu, per quasdam sortes divinationis scientiam profitetur, aut quarumcumque Scripturarum facta inspectione, futura promittit. Hujus furfuris sunt *Arioli, Aruspices*: *Incantatores*, et omnium

sortilegorum artes, quae, cum sint ex quadam Daemonum pestifera societate, atque hominum, quasi pacta infidelis, et dolosè amicitiae constituta, penitus sunt ab Ecclesia eliminanda, et artifices superstitiosi, nisi resipiscant, perpetuo feriuntur anathemate; et si Clerici sint degradatione mulctantur.

SPECTACULA inverecunda, uti sunt puerorum, et adolescentium nudorum cursus, et lictae, etiamsi longa consuetudine introductae, ne permittantur ab Episcopis, legibusve latis prohibeantur, mandat *Bened: XIV. in Encicl. incip. Nihil profecto. Bull. T.* 1. *n.* 60.

SPES THEOLOGICA. *Est donum Dei, quo Deum, et ea, quae ducunt ad Deum nobis, seu propter nos diligimus: vel spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostrae salutis, et aeternae vitae bona expectamus.*

2. Duplex est praeceptum spei, aliud *affirmativum*, aliud *negativum*. Affirmativum est in Deo, ejusque bonis confidere, et sperare: Sperare autem est boni ardui obtinendi fiduciam habere. Fiducia autem est promptitudo voluntatis nostrae ortae ex persuasione assequendi bona.
Negativum est. De Deo ejusque bonis non diffidere, vel non desperare, in creatura non confidere, de se nón praesumere.

3. Obiectum Spei *primarium* est Deus, quatenus nos beatificans, et ut a nobis possidendus. Objectum *secundarium* sunt media, quibus ducimur ad Deum: Objectum *formale* Spei, seu ratio, et motivum sperandi est auxilium Divinae potestatis, quoties enim spiritualia, et supernaturalia speramus, in Divina virtute debemus confidere.

4. Spes alia est *actualis*, seu actuale exercitium spei: alia *habitualis*, et est habitus, ad sperandum inclinans. Ex hac doctrina eruat Arbiter casuum hanc Conclusionem.

5. Omnes, et singuli fideles tenentur omnes, et singulas Orationis Dominicae petitiones scire, saltem quoad substantiam, et proinde bona, quae his petitionibus continentur, petere et sperare, idest omnia bona tam spiritualia, quam temporalia, a Deo enim procedunt cuncta bona.

6. Spes habitualis non sufficit adulto ad salutem, sed tenetur aliquando, vel per se, vel per accidens dicere actus spei confidens in Deo, diffidens de se.

7. Peccant graviter elicientes actus spei contrarios, de Deo desperando, de se praesumendo, et in creatura magis quam in Deo confidendo, et iisdem peccatis se exponendo etc.

SPICAE collectio post absolutam messem pauperibus permittenda indicitur a Bened. XIV. *T.* 1. *Const.* 56. Spicarum egenis collectoribus permittitur libera extractio, quocumque tempore in Ecclesiastica Ditione, etiam extra Statum Ecclesiasticum. *Idem T.* 2. *Const.* 53. *n.* 11.

SPOLIUM. Spolia Ecclesiasticorum Beneficiatorum sine vel Testamento, vel facultate testandi, morientium extra residentiam, pertinent ad Cam. Apost. Spolia Clericorum indebita negotiatione acquisitorum pertinet ad Cam Ap. Similiter spolia Regularium vagantium, extra claustra morientium, pertinent ad Cam. Apost. Si bedeficia non excedunt fructus ducatorum auri 30 non subsunt Spoliorum causae, agitandae sunt cum citatione Commissarii Camerae Apostolicae.

SPONSALIA ex Rit: Rom: Sunt promissio vel absoluta, vel conditionalis voluntaria, deliberata, et mutua, signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas natura, et jure habiles. Ergo qui contraxerunt sponsalia tenentur inire Matrimonium, et tempore condicto, et determinato, quia omnis promissio absoluta, et acceptata ligat; et si alter nolit injustè inire matrimonium cogi potest per censuras, vel alias poenas; hoc tamen in praxim non redigendum, si aliquod inter conjugatos timeatur incommodum.

2. Sponsalia dissolvi possunt, eodem modo, quo solent alii contractus promissorii dissolvi, quia sponsalia habent vim contractus, Si terminus Matrimonii ineundi fuerit conditione aliqua praefixus, transacto tempore, et termino, sponsalia dissolvuntur: Dissolvuntur per mutuum utriusque partis consensum, quia promissio non ligat, cum offertur, et acceptatur promissionis relaxatio, et sic dicito de aliis casibus.

Not. Quando sponsalia dirimuntur non per consensum partium, sed per culpam alterius partis, innocens pars potest petere, vel compensationem damni, vel sponsaliorum executionem, cum executioni mandari possunt: et ita desponsatus, vel desponsata ineuntes Matrimonium in praejudicium partis, cum qua primo sponsalia inierant, defuncta comparte, tenetur adimplere promissum Matrimonium, si pars laesa illud exigat. Item pars, quae elicuit votum, vel castitatis, vel Religionis, si obtineat dispensationem a voto, vel non recipiatur in Religionem, tenetur inire Matrimonium cum ea quam desponsaverat, si id exigit, quia obligatio promissionis remanet semper. Cum dissolvuntur sponsalia, hoc evenire, et fieri debet auctoritate Judicis Ecclesiastici.

SPONSIO *Est contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantcs, sibi invicem aliquid spondent ut id, ejus sit, qui veritatem dixerit*, ut, certo tecum centum nummis aureis, urbem tali tempore obsessam, et tali captam iri. Sponsio easdem requirit conditiones, quae in donatione conditionali.

2. Illi solum spondére possunt, qui queunt donare. Res, circa quas fit sponsio, debent esse tales, ut jure naturali, et positivo possint exponi sponsioni, alias illicita esset. Modus essentialis sponsionis, est, quod uterque contrahens sit aeque incertus de re, pro qua spondet, quia sponsio fundatur in aequali incertitudine ex parte utriusque contrahentis.

STATIO; Stationes celebres, ac frequentes erant primis Ecclesiae saeculis, et cum stationibus conjuncta jejunia.

2. Statio juxta celebriores auctores, nihil erat aliud, nisi fidelium cultus, seu officium, quo certis diebus, ad Martyrum sepulcra convenientes, ibique a Solis ortu stantes, orationibus, Sacrarum Scripturarum lectionibus, ac jejunio, usque ad horam nonam vacabant.

3. Verum temporis decursu hanc stationum disciplinam, collapsam restauravit, licet sub diversa forma ab antiqua S. Greg. Magnus Diebus deinde Dominicis Adventus, et quadragesimae Stationes cum consignatae fuerint, a Jejunio se-

paratae remanserunt. Quamobrem in hoc maxime nostrorum temporum stationes ab antiquis differunt, quod illae jejunium habuerint conjunctum, nostrae non. Nec mirum videatur; non enim ex praecepto quopiam constanti, sed ex varia pendent, pro temporum opportunitate, Ecclesiae disciplina.

4. Stationibus simillimae erant Vigiliae antiquae, quae, tum ab exemplo Christi, *qui erat pernoctans in oratione*, cum Apostolorum, trahunt originem, cum hac differentia, quod vigiliae erant nocturnae; Stationes vero diurnae: Vigilias hujusmodi agebant Fideles vigilantes, orantes, ac jejunantes ad Martyrum sepulcra, nocte praecedente ipsorum solemnitates. Diu viguit in Ecclesia. In Anglia enim vigebant *an.* 1212. et *an.* 1596. in Dominio Forojulensi perseverabant sub Clem. VIII. Vigilias agere solis permittebatur viris. A saeculi enim IV. initio foeminis fuit vetitum vigilare in locis, in quibus, et viri vigilabant, sed in privatis domibus agebant ipsae vigilias. Sublatis tandem istis, eorum loco remanserunt jejunia, quae hodie etiam ex Ecclesiae praescripto servantur.

5. *Rogationes*, hoc est, publicae preces ad Dei Misericordiam in aerumnis implorandam; nonnulli *Mamerco* Viennen: Episcopo, referunt auctori: alii illo antiquiores volunt, sed dicunt, ab eo earum usum restauratum. Ecclesiae quaedam eas celebrant modo cum Triduano Jejunio, aliae cum solo jejunio feriae quartae; sed unusquisque Ecclesiae suae consuetudinem, moremque tuto servare potest.

STATUS CLERICALIS. Prout est *consecratio*, quo Clericus se Deo devovet, exigit sanctitatem internam, eamque specialem. *Sancti estote*, ait Deus, *quoniam ego Sanctus sum*. Pro ut est *Ministerium*, in quo ministratur populo, exigit scientiam absolute necessariam ad Sacra ministranda, ut tamquam *Doctor dirigat*, ait *S. Thom.* v. CLERICUS, *et alibi*.

STIPENDIUM. Sacerdos pro Missa accipere potest stipendium v. MISSA *in fine*. Subjungo tamen: Qui minora stipendia accepit pro pluribus Missis, non potest eas reducere ad numerum proportionatum solito stipendio, nec pro eadem

Missa duplicatum accipere, nec partem sibi retinere, alteri celebrandam committens, nec tantas accipere Missas celebrandas, quas praevidet celebrare non posse, nisi multo elapso tempore etc.

STIPULATIO Est *contractus juris civilis nominatus*, *et* stricti juris, ad cujus substantiam, ultra consensum requiritur quaedam verborum solemnitas, ut scilicet interrogatio praecedat, et subsequatur responsio. Ad stipulationem requiritur: *Consensus*, *Interrogatio*, *Responsio*, *Scriptura*: non ad validitatem, sed ad valorem.

2. Tribus modis fit stipulatio: *Pura*, *In diem*, et *Sub conditione*. A Jure sunt termini assignati ad solvendum. Primus est 10. dierum: Secundus unius anni; in restitutione dotis: Tertius quatuor mensium ad solvendum id, in quo quis fuit a Judice condemnatus. etc.

STUDIOSITAS est *virtus Temperantiae filia*, *quae secundum rectam rationem moderatur appetitum sciendi*, *et ipsum studium*, ita ut quis incitetur ad solum addiscendas res suae conditioni necessarias, et convenientes. Huic opponitur *curiositas*, et *negligentia*.

STUDIUM est *mentis applicatio*, *qua scientiam addiscere optamus*. Qui ergo studet peccare potest vel ratione rerum, quibus studet, vel ratione modi, quo studet, vel ratione finis, quem studendo intendit; unde.

2. Toties peccat studens, quoties, vel noxiis, vel inutilibus rebus studet, aut necessaria scire negligit: Toties peccat, quoties studium non suscipit, juxta modum viris Christianis praescriptum: Toties demum peccat, quoties inhonestum sibi proponit finem. *SS. Thom*: *et Bonavent*:

STUPRUM, seu illicita Virginis defloratio: est peccatum mortale gravius simplici fornicatione, quia Stuprum involvit malitiam fornicationis, quia addit injuriam factam Virgini, corrumpit enim ejus virginalem integritatem, impedit Virginem a legitimo Matrimonio consequendo, eamque exponit periculo meretricii, iniuria fit parentibus ejus curam gerentibus.

2. *Stuprator* gravius peccat, quam simplex fornicator *Stuprum enim*, ait S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 6. *superaddit simplici fornicationi specialem deformitatem in specie Luxuriae*. Sed an circumstantia sit necessario confitenda? non ita certum est: Multi, et graves Arbitri, putant, non esse necessario confitendum, si nulla in stupro intervenerit violentia, nec ex stupro nascitur obligatio restitutionis, quia; *inquiunt*, haec deformitas stupri non addit semper supra fornicationem circumstantiam mortaliter culpabilem: tum etiam, quia difficillimum sciri potest, an puellae, quae corporis sui copiam faciunt, sint virgines, nec ne: maxime enim molestum esset confessario interrogare adolescentes, an ea, quae fuit objectum morosae delectationis, sit virgo. Haec doctrina non aspernanda.

3. Qui violenter stuprum infert gravius peccat eo, qui consentientem commaculat, quia stupro addit violentiam. Qui fictis promissis, importunis precibus, longo temporis intervallo Virginem perlicit ad peccatum, gravissime peccat: et haec circumstantia pertinacis tentationis aperienda est in confessione, quia denotat perseverantem in peccando voluntatem etc.

SUBDIACONATUS v. ORDO *n*. 14.

SUBDITUS, qui est in statu subjectionis, ut sunt, omnes subditi erga Reges; omnes Vassalli erga Principes, et omnes Plebaei, debent humiliter in eo statu persistere, et conditionem Magnatum timere potius, quam desiderare. Hinc

2. Pastores soli esse debent in inspirando populis amorem, subjectionem, timorem erga Praelaturam, erga suos naturales Principes etc.

SUCCESSIO ab intestato, est *acquisitio haereditatis legibus debita absque testamento, vel dispositione hominis*.

2. Successio ab intestato est duplex. *In Capita, et in Stirpes* In capita est, quando haereditas secundum numerum personarum succedentium, quibus defertur, in tot partes viriles seu aequales dividitur, quot sunt capita, seu personae ejusdem gradus. Successio vero in stirpes, est, cum plures suc-

cedunt in locum alicujus, non secundum numerum personarum, sed secundum portionem, quam de jure accepisset ille, in cujus locum succedunt. v. TESTAMENTUM,

SUFFRAGIUM v. INDULGENTIA: ANIMA: *n.* 6.

SUICIDIUM, *Est sui ipsius occisio*. Hinc peccat peccato homicidii, vel ad homicidium pertinente, qui actione positiva vel negativa, intendit sui ipsius occisionem, mutilationem etc. aliquod prohibitum faciendo, vel aliquid imperatum omittendo ad quod necessario sequitur, vel occisio, vel mutilatio. v. BELLUM

SUPERBIA. *Est appetitus inordinatus propriae excellentiae supra alios*. Est peccatum mortale, si consummata sit, et perfecta.

2. Hujus filiae pessimae sunt. Inobedientia: Jactantia: Hypocrisis: Contentio: Pertinacia: Discordia: Curiositas: Vanagloria: Praesumptio: Ambitio etc.

3. Remedia contra Superbiam sunt: Propriae infirmitatis consideratio: Magnitudinis Divinae meditatio: Consideratio imperfectionis bonorum eorum, super quibus homo superbit etc.

SUPERSTITIO *est cultus vitiosus per excessum, quo vel Creatura colitur, ut Deus, vel Deus aliter colitur, quam ut oporteat*. Haec est vitiosa, vel ratione objecti, cum colitur falsum Numen, quod potius est contemnendum, quam colendum, ut, sunt: Idololatria: Divinatio: Vana observantia: Maleficium: Magia etc. de quibus v. *suis locis* Vitiosa vero ratione modi, est cum verum Numen aliter colitur, quam oporteat, ut sunt cultus perniciosus, cultus superfluus e. g. Si quis Christum jam natum, suis caeremoniis, quasi venturum expectaret, ut faciunt Judaei; aut, si quis ageret contra Rubricas Ecclesiae, vel in Missa celebranda, vel D. Officio etc.

2. Ad dignoscendam superstitionem, dico. Toties actus est superstiosus ex objecto, quoties res, quae fit, non habet virtutem inducendi effectum, qui expectatur, virtutem inquam, vel ex natura sua, vel ex Dei elevatione; quae elevatio Divina non debet praesumi, nisi in eis, quae Deus se eleva-

turum promisit. S. Thom. 22. q. 96. a. 2. Est de se culpa gravissima.

3. Toties actus est superstitiosus ex modo, quoties cultus Deo ab Ecclesia exhibitus reprobatur, vel quia falsus, vel quia superfluus, et si inducat falsitatem, est peccatum mortale ex se. *S. Thom. ib.*

4. Arbiter casuum advertat. Cum superstitio praesumitur; si adhibeantur causae naturales; Medico-Physici consulendi sunt ut ab iis sciatur, an causae adhibitae vim habeant naturalem inducendi effectum, qui inquiritur, et inspicitur: Si sic, nequaquam erit superstitio. Si adhibeantur preces, consulendi Theologi, et nisi sint difformes ritui Ecclesiae, non erit superstitio si nec Philsophi consuli possunt, nec Theologi. ad Deum habeatur recursus; Et 1. Interrogandi sunt Pastores, qui certas adhibent causas, ut pecora servent a Lupis, a scabie etc. Fabriferrarii seu Veterinarii, qui insolitis utuntur mediis, ut pecora sanent. Vetulae, quae parituras circa mulieres, vel parturientes, insolita adhibent remedia. Milites etc.

5. Si constet haec, et alia superstitiosum sapere, videndum, an pactum sit cum Daemone expressum, vel tacitum, si sic, Confessarius a penitente exigat absolutè, si habeat libros, characteres etc. et a peritiori, quid agendum sit, audiat v. *Auctores ubi de Religione.*

SUSPENSIO, cujus definitionem mox videbis. Suspensionis causa efficiens, est Superior, qui potest excommunicare, et suspendere: Causa materialis, et remota est subjectum capax suspensionis, nempe Clericus: Causa materialis proxima est peccatum, propter quod infligitur suspensio. Causa finalis est, Clericorum reformatio, et animarum salus.

Not. adnecto hic ante omnia, regulas, quibus discerni potest, qualis sit suspensio? et quidem.

Regula Primaria. Generatim talis est suspensio, qualis exprimitur per verba, quibus infligitur, quia, juxta vulgare dictum Canonistarum. *Verba bullarum tantum valent, quantum sonant.* Ex hoc principio exurgunt sequentes regulae.

Regula prima particularis. Suspensio simpliciter intelligitur de suspensione absoluta totali, et perpetua, quia propositio indefinita aequivalet universali. Si Judex, si Canon dicat: *suspendimus*; Clericus remanet omnino suspensus: si sit Episcopus, nullum potest munus exercere, nec Episcopale nec Sacerdotale, nec clericale. Si sit Parochus, nullum poterit Parochiale munus obire: si Sacerdos dignitate fulgens, nullum dignitatis suae poterit praestare officium. Suspensus a beneficio simpliciter, est ab omni beneficio suspensus, et a receptione alterius impeditus.

Regula secunda. Suspensio ab Ordine se extendit tantum ad ea, quae sunt Ordinis, quia propositio limitata restringit, et coereet sensum intra expressionis limites. Hinc si Canon, si Judex dicat: *Suspendimus ab Ordine*, remanet potestas contentiosae Jurisdictionis in eo, qui suspenditur, quia Jurisdictio contentiosa non fundatur in Ordine, nec autem remanet potestas Jurisdictionis interioris, quia haec fundatur in Ordine. Sic Episcopus suspensus ab Ordine, non poterit certe Ordines conferre, sed poterit exteriorem jurisdictionem exercere, ut, conferre beneficia, excommunicare etc.

Regula tertia Suspensio a determinato Ordine se extendit ad illum Ordinem praecise, quem exprimit. Hine suspensus ab Ordine Episcopali non potest exercere actus Episcopi proprios, bene vero proprios Sacerdotis. Sic Sacerdos suspensus ab Ordine Sacerdotali, non potest exercere actus Sacerdotis, bene vero Diaconi munus implere.

Regula quarta. Suspensio ab Officio se extendit ad omnem potestatem Ecclesiasticam. quia officium est nomen universale. Ideo si Canon dicet: *Suspendimus ab officio*, Clericus tunc suspenditur ab Ordine, et beneficio, quod habet, ita ut non possit exercere Ordinem, quem habet, nec superiorem recipere, non valet uti privilegiis beneficii, quod obtinet, nec noviter beneficium recipere.

Regula quinta. Suspensio ab ingressu Ecclesiae, se extendit nedum ad ingressum Ecclesiae, sed ad exercitium etiam divinorum.

Regula sexta. Suspensio ab administratione Ecclesiae, seu beneficii in temporalibus, seu in spiritualibus, non se extendit ad exercitium Ordinis, et ita, Episcopus, Parochus suspensus ab administratione sui beneficii, potest Missam celebrare etc. Nunc.

2. Suspensio, *Est secunda species censurae, qua Clerico in gravis delicti poenam prohibetur exercitium, vel Jurisdictionis, vel Officii, vel in totum, vel in parte, vel ad tempus, vel in perpetuum.*

3. Suspensio alia est a Jurisdictione, alia ab officio, alia ab officio tantum, alia tantum a beneficio, alia ab Officio, et Beneficio, alia ad tempus, alia in perpetuum.

4. Suspensio Jurisdictionis est ea, qua quis suspenditur a jurisdictione, quam habet, talis est ea, qua Episcopus, Parochus suspenduntur a jurisdictione, quam habent supra oves suas. Suspensio ab Officio tantum, et Ordine, est ea, qua Persona Ecclesiastica privatur exercitio sui Ordinis v. g. Sacerdos officio Sacerdotali. Suspensio a beneficio tantum est ea, qua quis suspenditur a privilegiis beneficii, ut Canonicus ab honoribus, et fructibus Canonicatui adnexis. Suspensio totalis est, qua quis suspenditur ab omni Ecclesiastica potestate. Suspensio partialis; qua quis suspenditur a parte Ecclesiasticae potestatis. Suspensio in perpetuum est ea, quae toto vitae tempore durat. Observandae propterea sunt regulae suprapositae ad meliorem intelligentiam.

5. Effectus suspensionis plures sunt, quorum primus est: Incurrere in peccatum grave, quoties exercetur actus a quo Clericus est suspensus, cum inobedientia sit in materia gravi, et ita suspensus a celebratione Missae, ab ingressu Ecclesiae etc. mortaliter peccat: *Secundus* effectus est, incidere in irregularitatem, cum suspensus ab Ordine actum ordinis exercet. *Tertius* effectus, est exclusio ab aliorum communione, ita ut simul peccent, et suspensus, et cum eo communicantes, ut Sacerdos celebrando graviter peccat, esto occulte suspensus, ipse et audientes simul. *Quartus* effectus est, quod suspen-

sus nec eligere, nec eligi potest ad beneficium, in quo casu nulla esset collatio in suspensi favorem, et nulla, si suspensus in alterius favorem faciat. *Quintus* effectus est a fructibus beneficii; ideo suspensus nullos potest beneficii percipere fructus, et recipiendo, mortaliter peccat, et ad restitutionem tenetur, potest tamen recipere necessarios ad vitam, et absolvi potest. *Sextus* effectus est a beneficio; suspensus enim novum nequit aquirere beneficium. etc. Sed

6. Quomodo tollatur suspensio, brevi calamo expono. Suspensio lata ad tempus tolitur, finito tempore, et lata sub hac forma, *donec resipiscat*, tollitur ab Episcopo, si non sit Papae reservata. Cur autem excommunicatio lata a Canone, et non reservata tolli possit a quolibet Confessario; minime vero suspensio? *Resp*: quia major est necessitas absolvendi excommunicatum, quam dispensandi suspensum, quia excommunicatio privat bonis spiritualibus, minime vero suspensio: Suspensio reservata Papae per illum solum tollitur. Suspensio lata ab Episcopo, Abbate etc., ab eo tollitur, a quo profecta est, nisi lata esset ob legis violationem, quae importaret suspensionem; lata a Jure in poenam delicti sive perpetua, sive ad tempus, ab eo quoque solo tollitur, si publica sit, vel lata ad forum contentiosum; quia, ut ait D. Thom. inferior non habet potestatem absolvendi reum a poena contra violationem legis a Superiore constituta, et sic Episcopus nequit absolvere Clericum suspensum ob crimen publicum, si suspensio lata sit a Canone; bene tamen potest si suspensio lata sit ab eodemmet Episcopo.

7. Suspensiones latae contra Clericos, propter illicitam Ordinis receptionem sunt. 1. Ordinati in Sacris ab Episcopo alieno, sine literis dimissoriis proprii Episcopi *Trid. sess. c*: 9. Excipe casus, in quibus de Jure alienus adiri potest Episcopus sine Ordinarii licentia, ut si Episcopus sit suspensus etc. 2. Ordinati in Sacris, non arctati beneficio Ecclesiast: infra annum, Sede Episcopali vacante, etiam cum licentia Capituli *Trid.* 16. 3. Ordinati in aliena Diecesi a proprio Episcopo, sine licentia Ordinarii loci *Trid. sess. 6. c. quinto* 4. Or-

dinati ante legitimam aetatem. 5. Ordinati in Sacris extra tempora a Jure statuta. 6. Recipientes eadem die duos Ordines Sacros sine dispensatione. 7. Recipientes Ordines Sacros duobus diebus immediatis. cap. *Literas*. 8. Recipientes eadem die Subdiaconatum, et aliquem ex Ordinibus minoribus. c. unic. *de eo*. 9. Ordinati per saltum; 10. Promoti ad Sacros Ordines post matrimonium ratum, licet non consummatum, sine dissolutioneMatrimonii. 11. Clerici Doctrinae Christianae, qui, etiamsi titulum habeant, sine licentia Praepositorum Ordinis, ordinantur.

8. Suspensiones contra Clericos propter illicitum exercitium Ordinis suscepti: sunt. 1. Clerici celebrantes, vel celebrare facientes in loco interdicto: 2. Sepelientes in caemeterio benedicto ab Ecclesia usurarium publicum. 3. Sacerdos, qui, inchoato Canone, sine causa omittit incompletam Missam 4. Celebrans Missam, et non se communicans. 5. Benedicens secundas nuptias. 6. Conjungentes, vel Benedicentes sponsos alterius Parochiae, *Trid. sess.* 24. *c.* 1.

9. Suspensiones contra Clericos ratione beneficiorum sunt. 1. Clericus non praeditus aetate, natalibus, et moribus ad Ecclesiasticas dignitates requisitis. 2. Non praesentantes electionem electo, postquam comode potuerunt. 3. Objicientes electo, et in probatione deficientes. 4. Gravantes Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis. 5. Praelati submittentes suas Ecclesias Laicis. 6. Clerici usurpantes bona ecclesiastica, vel usurpationi consentientes. 7. Praesumentes consentire electioni de se factae per potestatis saecularis abusum. etc.

10. Suspensiones contra Clericos ex variis defectibus. 1. Clerici involventes Laicos mortuos vestimentis sacris. 2. Paciscentes, ut, occasione Ordinis collati sine titulo, non petantur alimenta. 3. Refellentes alteram contradictionis partem circa Conceptionem B. Mariae Virginis, et Matris. 4. Notorii fornicarii celebrantes post Ecclesiasticam monitionem. 5. Visitatores Episcopi inferiores, recipientes aliquid praeter victualia a visitatis, nisi adsit contraria consuetudo. 6. Personae Ec-

clesiasticas portantes publice vestes non decentes Ordinem eorum. 7. Clerici provocantes, vel acceptantes duellum.

11. Suspensiones contra Clericos, et Praelatos majores, et not. quod Episcopi non censentur suspensi, nisi expresse includantur in suspensionibus latis tum a jure, tum ab homine Sequuntur ideo suspensiones ex parte promotionis ad Episcopatum, etc. 1. Suspenduntur Fratres Ord. Praedic., et omnes alii Religiosi, qui promoti ad Episcopatum, non reddunt libros Ordinis. 2. Archiepiscopi non consecrati ab omnibus suis suffraganeis, et Episcopi consecrati sine consensu Metropolitani. Sed ex praxi utraque haec suspensio non viget.

12. Ex parte collationis Ordinum suspenduntur. 1. Episcopi ordinantes alienos Clericos, sine dimissoriis Ordinarii sui. 2. Episcopi exercentes Pontificalia in alieno territorio, nisi de expressa licentia Ordinarii, *Haec suspensio est a Pontificalibus tantum*. 3. Episcopi ordinantes indignum Sacerdotem. 4. Episcopi conferentes primam tonsuram illiterato, aut conjugato, nisi cum conditionibus explicatis c. *Nullus*. 5. Episcopi eadem die, vel duobus, vel tribus diebus continuatis conferentes eidem Clerico duos, aut tres Ordines Sacros. 6. Episcopi ordinantes eum, qui solemni poenitentiae addictus fuit, vel conferentes Ordinem bigamo. 7. Episcopi ordinantes in Sacris Religiosum non professum, sine titulo, vel alium saecularem sine titulo. 8. Episcopi ordinantes, accepta ab Ordinato promissione, quod non molestabuntur super ejus provisione. 9. Episcopi ordinantes invitos praeter juris ordinem. 10. Ordinantes Regularem sine licentia Superioris.

13. Ratione collationis beneficiorum, aut eorum fructuum suspenduntur. 1. Conferentes beneficia indignis. 2. Episcopi percipientes proventum dignitatis, quae adhuc vacat, cujus dignitatis ad ipsos spectat collatio.

14. Hae sunt suspensiones, in quas Episcopi incurrunt ratione diversorum defectuum, et 1. Suspenduntur Episcopi cognoscentes carnaliter post Episcopatum illam, quam ante Episcopatum cognoverant... Suspensio est ferendae sententiae ante monitionem, latae sententiae post monitionem,

2. Episcopi relaxantes poenam incendiariis 3. Negligentes procedere contra simoniacos. 4. Episcopi locantes, vel locari permittentes domos ad exercendas usuras. 5 Episcopi perseverantes per sex menses in interdicto in eos lato, ob alienationem bonorum Ecclesiasticorum, inconsulto Papa. 6 Episcopi admittentes resignationem beneficiorum extra casus in jure expressos. 7. Episcopi accedentes ad suas Ecclesias sine literis Apostolicis. Fusius haec in Jure Canonico, et Conciliis, praecipue *Trid.*

SUSPICIO v. JUDICIUM. *n.* 3.

SUSSURRATIO. *Est peccatum linguae, dum quis, occulte de proximo male loquendo, odium ejus dissensionem molitur*: Nam finis susurrationis est discordiarum disseminatio. De hujus vitii gravitate, sat erit audire Ecclesiasticum dicentem: *Sussurro, et bilinguis maledictus.*

SYMBOLUM Fidei *Est summa quorumdam praecipuorum fidei articulorum omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, distinguens illos ab Infidelibus.* Fidei Symbolum triplex est. *Apostolicum,* quod ab Apostolis conditum a cunctis fidelibus in quotidiana oratione recitatur. *Nicenum* contra impietatem Arii divinitatem Filii negantis. *Athanasianum* incipiens: *Quicumque vult salvus esse,* quod est ab Ecclesia receptum, voluitque in Officio Divino perlegi.

Not. Hoc symbolum Athanasianum exposui italico idiomate in Opuscolo, *La Fanciulla alla prima Comunione.*

SYMBOLA v. IMAGINES.

SYNGRAPHA seu *literarum obligatio private facta,* vulgo *Scriptura privata,* est Scriptura facta super negotio bilaterali: Nam scriptura privata super negotio unilaterali, dicitur *Chirographum,* in qua solutionem factam creditor profitetur, appellatur *Apocha*, et in qua eamdem a se jure factam esse fatetur debitor *Antapocha* appellatur. Ideoque cum quis, spe futurae numerationis, scribit, se recepisse pecuniam, quam revera non accepit, in hoc casu Creditor intra biennium tenetur probare, numeratam fuisse pecuniam; transacto biennio, probatio cadit in debitorem, qui, si non probet pecu-

niam non fuisse numeratam, tenetur ad solutionem. Sic cautum est a Justiniano Imperatore in *Leg.. In contractibus Cod. de non numerata pecunia.*

SYNDICUS est universitatis, seu Communitatis defensor, et Procurator, et fere idem ac Tutor, et Curator. v. *Ibi*.

T

TABERNACULUM. Claves Tabernaculi nec relinqui debent in Sacristia, nec a Laico servari, sed a solo Sacerdote, immo privative, ipsas retinere debet Parochus. *S.Congr. Conc.* 1. 4. *Novembris an.* 1693. Tabernaculum SSmi Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in Altari Majori propter functiones Pontificales, quae fiunt versis renibus ab Altare. Secus debet esse semper in Altari Majori, tamquam digniori. Lucca 1579. et conservari in Pyxide argentea intus inaurata.

TABERNA. Clerici non possunt ingredi Tabernas ad comedendum, et bibendum, nisi itineris, vel necessitatis causa, et multo minus licet ipsis habere tabernas: Tabernarii, sive caupones mortaliter peccant, si inebriandos provocant ad potum: si potum ministrant iis, quos certe inebriandos fore cognoscunt: si permittant ad aedes suas venire Scorta etc.

TACTUS impudici v. ACTUS IMPERF. LUX. *n.* 4.

TEMPERANTIA *Est virtus refraenans inordinatos appetitus, vel concupiscentias corporis, praesertim circa gustum et tactum*, seu, est virtus, quae refraenat affectus hominis, ab iis, quae ipsum quomodocumque contra praescriptum rationis alliciunt. Hinc sequitur, objectum materiale temperantiae esse delectationes corporeas; formale vero esse earumdem usum moderatum. Vitia temperantiae opposita sunt duo. *Insensibilitas* per defectum. *Intemperantia* per excessum: Habet locum inter virtutes Cardinales.

TEMPUS v. IMPEDIMENTUM.

TENTATIO DEI *Est actus, quo exploramus, an conveniat Deo aliqua perfectio, quae revera ei convenit, ut Veracitas; Bonitas* etc.

2. Tentatio Dei duplex est: *Formalis,* quando quis expresse dubitat de aliqua Dei perfectione, et eam experiri cupit, ut; si quis peteret miraculum, ut certus fieret de veritate Divinae Revelationis. *Interpretativa* est, cum aliquis non expresse dubitans de Dei perfectione, aliquid tamen agit,

quo Dei perfectionem experiri videtur; ut si quis in morbo nollet experiri medicinam etc.

3. Tentatio formalis, qua quis expresse dubitat de aliqua perfectione Dei, est peccatum mortale. Ideo mortaliter peccaret petens miraculum, ad se confirmandum in Religione Christiana, se e turri praecipitare, in flumen projicere, ad exprimendum, an Deus sit Omnipotens, misericors etc. *S. Thom.* 22. *q.* 97. *a.* 2. etc.

TERRÆ CULTURA v. ARS MECHANICA *n.* 3.

TESTAMENTUM, idem est, ac testatio mentis, et def. *Voluntatis nostrae justa sententia, de eo, quod post mortem nostram fieri volumus, cum directa haeredis institutione*

2. Testamentum varie dividitur. Aliud est perfectum, sive *Solemne*, et huic congruit posita definitio. Aliud est minus solemne, sive *Privilegiatum*, quod esto solemnitatibus careat jure communi requisitis, tamen ex privilegio valet: ut est Testamentum ad *Pias causas inter liberos, militare*, aut factum tempore Pestis, coram Principe, sive per acta Judicis etc.

3. Testamentum dividitur quoque in *Paganum*; idest factum domi in pace: et *Militare* factum in castris militiae, a milite. Paganum, et solemne dividitur in *Scriptum*, seu clausum, et in *Nuncupativum*. Scriptum, seu clausum illud est, quod scripto fit, debita servata Juris forma, et tunc praecipue fit, cum testator vult illud latere, quod in testamento continetur. *Nuncupativum* illud est, quo Testator, non interveniente Scriptura, coram Testibus nuncupat, seu oretenus exprimit nomen haeredis, quidve aliud de suis bonis post mortem fieri velit. Nuncupatio talis coram Testibus facta, plerumque a Notaro in scripturam redigi solet, non ad substantiam actus servandam, sed ad meliorem rei gestae comprobationem: fieri enim potest, ut testes vel inhabiles fiant, vel moriantur, vel Defuncti voluntatem nesciant declarare.

4. Ad testamentum solemne Scriptum, seu clausum, sequentia requiruntur: Haeredis institutio, septem Testes, ut isti sint legitimi, idest, qui jure non prohibeantur. Foemi-

na nequit esse testis, nec Monachus, sine sui Praesulis licentia; nec qui sunt in potestate Testatoris, aut haeredis: Ut testes sint rogati: Subscriptio, subsignatio testium, Unitas contextus, quod nempe haec omnia fiant uno, eodemque tempore continuato.

5. Ad Testamentum nuncupativum, eaedem ferme requiruntur conditiones, demptis Testamento scripto, et testium subscriptione, loco quorum requiritur, ut Testator coram septem Testes simul praesentes suam exprimat voluntatem.

6. An testamentum non privilegiatum, in foro conscientiae validum sit, si ei desint solemnitates Juris civilis? Cum illis sentio, qui negant praedicta testamenta in foro conscientiae valere; quia sicut Matrimonia Clandestina, et pupillorum donationes sine consensu Tutorum fractae nullae sunt, et in foro conscientiae robore carent, quia per leges absolute irritantur. Sic Testamentum solemnitatibus Juris destitutum in foro conscientiae nullum erit, cum et ipsum absolute irritetur per leges.

7. Testamenta privilegiata illa dicuntur, in quibus, vel nulla Juris civilis solemnitas, vel non tam plena requiritur. Inter haec principem locum obtinent Testamenta ad pias causas, et illa sunt, in quibus pia causa instituitur haeres, ut; Ecclesia, Monasterium, Pauperes, etc. Ut hoc Testamentum sit validum, tam in interno, quam in externo foro, nec Testes requiruntur, nec aliae Juris civilis solemnitates, sed ea, quae sunt jure naturae, et gentium, nimirum, potestas in disponente, capacitas in eo, pro quo disponitur: libertas in dispositione, duo testes: sed attendendum Jus Canonicum in utroque foro Ecclesiastico et civili. Praedicti duo Testes non sunt de *forma*, sed de *probatoria* Testamenti. Infertur ex hoc, valere Testamentum ad causas pias, factum absque ipsis, tum quia leges civiles in his non procedunt ex defectu jurisdictionis, et in Jure Canonico nullum adest irritans decretum, dummodo aliunde non constet de mente Testatoris. Haeres vero conscius de men-

te Testatoris, in foro conscientiae tenetur ad satisfaciendum, esto in foro externo probari nequeat.

8. Si moriturus coepit, nec potuit absolvere Testamentum, vel Codicillum, licet secundum alia sit irritum, valet tamen quoad Legata pia, quaè in illa imperfecta Scriptura reperiuntur.

9. An credendum sit Parocho, vel Confessario post mortem Parochiani, vel sibi confitentis, pagellam producendo, legata instituentem ad causas pias, et an talis dispositio pro vera, et legitima ultima vo'untate haberi debeat? *Resp.* Si manus agnoscitur Testatoris, vel duobus Testibus probari potest, tunc talis voluntas executioni est omnimode demandanda. Si postea ipsemet Parochus, vel confessarius legata notavit, non creditur isti sine alio Teste. Hinc Parochus monendus, simul et Confessarius, ut tales ultimas voluntates non suscipiant, nisi saltem duobus vocatis testibus, masculis, aut foeminis. v. FORMULA TESTAM.

10. Inter alia privilegiata Testamenta, secundum locum obtinet, quod, dicitur factum *Inter liberos*, et est illud, quod a Patre, Matre, aliove utriusque sexus ascendente, conditur: valet, esto imperfectum, et sine solemnitate, dummodo Testatoris sit declarata voluntas.

11. Tertium locum obtinet Testamentum militis, quod in bellica expeditione fit: iste enim testari valet, prout potest, et vult, *intelligo de actuali expeditione*.

12. Quartum locum habet Testamentum coram Principe factum.

13. Quintum rusticis hominibus concessum est, ut non cogantur attendere legum subtilitates, sed testari possint juxta eorum consuetudines.

14. De testamento tempore pestis facto, standum legibus municipalibus. Hucusque dicta habent locum, seclusis locorum consuetudinibus, Regnorumque legibus. In Dominio Pontificio sufficit facere testamentum secundum formam Juris Canonici cap. Cum esses, et cap. relatum de testamentis, idest coram Parocho, et duobus, vel tribus testibus.

15. Omnibus hominibus libera est facultas de bonis suis testandi, nisi jure prohibeantur. Ideo.

16. Regulares professi non possunt condere testamentum, et factum est irritum, paucis exceptis casibus. Novitii possunt de bonis suis testari. Clerici saeculares, sive beneficiati non possunt libere testari de bonis suis Patrimonialibus, etiam ad causas prophanas. Loquendo vero de bonis mere Ecclesiasticis, spectato Jure communi, Clerici beneficiarii non possunt de iisdem testari, vel disponere mortis causa, etiam ad pias causas. v. FORMULA TESTAMENTI.

TESTIS est ille, qui de aliquo facto controverso testimonium dicit, factum illud, quod controvertitur, quodque aliquo sensu percipi possit, vel negans, vel asserens. Hinc

2. Ille solus jure naturae potest esse testis, qui veritati dignoscendae inservire potest.

3. Jure positivo, illi omnes a Testimonio ferendo rejiciuntur, qui rationabiliter praesumi possunt agere alio motivo, quam veritatis.

4. Quoties quis legitime interrogatur, toties tenetur testimonium reddere veritati, et si recuset, peccat, et tenetur damna illa reparare, quae ex ejus silentio emerguntur. *S. Thom.*

5. Quicumque vero falsum profert testimonium, gravissime peccat ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *a.* 1. 4. *ad* 1.

THESAURUS v. MODI ACQUIR. DOMIN. *n.* 6.

THESAURUS ECCLESIÆ v. INDULGENTIA.

TEXTORIA ARS. v. ARS MECHANICA. *n.* 7.

TIMOR Servilis, quo, ut loquitur *Trid.* abstinemus a peccando, non est peccatum, ut enim optime ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 19. *a.* 5. *Timor servilis*, secundum suam substantiam, *est bonus* 1. quia dum timemus poenam, quae nos separat a Deo, optamus uniri cum Deo. 2. quia ex illo timore ducti, eligimus aliquid, quod est bonum ex objecto, scilicet abstinere a peccato. 3. Timor ille est domum Dei, supponit enim plerumque fidem, ut docet S. Aug. sola antem *servilitas est mala*, quatenus effecit, ut non operemur ex amore Dei; minime vero timor servilis, qui est a Deo, et supponit

fidem, ut latè probat S. Doct. *Serm.* 19. *de Verbis Domini c.* 9. *Si timore gehennae,* inquit, *non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum esse Dei judicium, gaudeo fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae; Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile...non occidit, sed tamen recedit.* Innuit his verbis timorem illum non immutare interius mentem peccatoris; sicut enim non mutatur Lupus, cum timore perterritus, ab ovile recedit, ita nec timore servili mutatur peccator, timor enim ille voluntatem peccandi non excludit.

TITULUS Pro ordinibus intelligitur beneficium Ecclesiasticum, vel aliud medium se honeste sustentandi: Non enim decet, ut Clericus Divinis Officiis addictus, cum Ordinis dedecore mendicet. *Trid. sess.* 25. *c.* 1.

TITULUS ad deponendum dubium. Multos assignant Doctores titulos, ut, prudenter sublato dubio speculativo, indui possit conscientia moraliter certa. Sunt autem Tolerantia rationalis: Praxis communis timoratorum: Consilium viri probi: Possessio: Auctoritas testium: Ratio ipsa intrinseca, ad quam clare aspiciendam, et penetrandam, oratio ad Deum et diligentia sedula etc. necessariae sunt. Si hae non sufficiant, tutior eligatur pars, ad periculum peccati evitandum.

TITULUS respectu aquisitionis Dominii. Est factum, seu ratio, unde oritur dominium, et triplex est, nempe *Verus,* quia a parte rei subsistit, ut est venditio facta a vero rei illius domino: *Coloratus,* qui bona fide creditur verus, licet ob latentem aliquem defectum talis non sit, ut venditio facta ab illo, qui rei venditae merito creditur dominus, licet talis non esset. *Praesumptus,* quem Jus, ob temporis diuturnitatem praesumit, cum tamen forte non intervenerit.

TONSURA. v. ORDO *n.* 28.

TRADITIO. Per traditionem Jure Naturali res nobis acquiruntur. Nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem Domini volentis res suas in alium transferri, ratam haberi, et ideo cujuscumque generis sit corporalis res, tradi potest, et a Domino tradita, alienari.

TRANSACTIO v. CONTRACTUS.
TRANSUBSTANTIATIO v. EUCHARISTIA.
TRIBUTUM v. LEX n. 29.
TUMOR v. IRA n. 2.
TURCÆ v. PAGANI.

TURPILOQUIUM. Aspectus, turpes cantilenae, ac hujusmodi, si causa esse possunt, et sunt impurae delectationes, et inter personas solutas, peccata sunt mortalia. Gravius vero peccant haec agentes coram innocentes, malitiam nescientes etc. Istos enim Christus aeterno profligat anathemate.

TUTOR. Necessitas publica exigit, ut Tutores stabiliantur, et Curatores, qui erga pupillos, et minores parentum agant vices, et quod pupilli, et minores loco parentum habeant Tutores et Curatores. Ex hac doctrina surgit, quod illi omnes tutela indigent, qui se, et sua defendere non valent, et pariter illi omnes curatela indigent, qui bona sua nequeunt administrare. Ideo infantes, tam masculi, quam foeminae egent tutela, donec pervenerit masculus ad an. 14. completum: foemina vero ad an 12. completum. Minores tam masculi, quam foeminae, qui 20. annum non excedunt, egent curatela, quia tempus minoritatis ita praefixum est a Jure. Amentes, furiosi, surdi muti, et ob morbum debiles, prodigi etc. Curatoribus indigent absolute. Bona Testatoris, cuius haereditas nondum suscipitur, item bona illius, qui aere alieno gravatus est, vel qui rebus suis cessit, sub cura alicujus Curatoris juridice statuuntur, ne bona illa pereant, neve legitimi haeredes haereditate, et Creditores bonis suis orbentur. Communitas sive Ecclesiastica, sive civilis eget Tutoribus, et Curatoribus, quia, utpote coalescens ex pluribus, singuli nequeunt res suas gerere, sed aliquem debent preponere rebus gerendis idoneum: ideoque civitates reguntur per Consules, Collegia per Syndicos etc. Eaedem autem sunt Consulum obligationes, ac Syndicorum, et Curatorum.

2. Tutores, et Curatores institui debent, qui sufficienter valeant, et personam, et res pupilli defendere, et minorum ne-

gotia administrare. Ideo munera Tutoris sunt. 1. Necessaria tum corpori, tum animae Pupillo ex ejus bonis providere. Illa tantum gerere, quae prosunt Pupillis, et Minoribus, minime vero ea, quae possunt ipsis officere. 3. Tantam debent in rebus Pupilli, et Minoris administrandis curam adhibere, ut si quid, vel dolo, vel culpa negligant, ad restitutionem teneantur, minime vero, si fortuitò eveniat. 4. Eam prudentiam adhibere debent in rebus gerendis, ut, nec sibi, nec Pupillis, vel Minoribus noceant, vel noeere praesumantur.

3. Pupilli et Minores debent Curatoribus, et Tutoribus solvere, quidquid juste pro illis impensum est. Ratas habere omnes justas impensas, damna omnia resarcire, quae Curator, et Tutor suut passi ob administrationem Tutelae, et Curatelae, quia iniquum est, Tutores, et Curatores Pupillorum, et Minorum causa egenos fieri.

V

VALOR Sacrificii Missae v. **MISSA**.

VANAGLORIA. Est una ex praecipuis filiabus Superbiae, et *est cupiditas inanis gloriae, qua vanaglorians vult propriae excellentiae manifestationem, sive verae, sive falsae.* Haec per se est tantum venialis culpa, et per accidens potest esse gravis. *S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 3.*

VANA OBSERVANDIA *Est actus, quo aliquid observatur, quod nec ex natura sua, nec ex Dei institutione vim habet inducendi effectum, qui expectatur. Est ex se culpa gravis.* Ideo

2. Confessarius poenitenti innotescat, quod mortaliter peccat arte notoria utens ad acquirendam statim scientiam v. g. orationibus, figuris etc; utens incongruis mediis ad dandam sanitatem, dies observans, et annos pro regula operationum, *nisi simplicitas excuset* etc.

VASA ad celebrationem cecessaria v. **ORNAMENTA** *n.* 2.

VECTIGALIA et tributa fraudantes, tenentur absolute ad restitutionem. *Cathec. Rom.*

VENDITIO *Est contractus, quo traditur res venalis pro justo pretio; seu alienatio rei pro juso pretio.* Res venalis est res quaelibet pretio aestimabilis in hominum commercio posita, sive sit immobilis, ut fundus, sive mobilis, ut suppellex, si incorporalis, ut jus in re, et ad rem.

2. Vendens proprio nomine debet actu habere dominium vel possessionem rei, quae venditur, et debet posse acquirere dominium, vel possessionem pretii, quod rependitur: venditio enim non semper tranfert dominium rei, sed aliquando solam possessionem, ut patet in fure rem furtivam vendente.

3. Hinc vendere nequeunt proprio nomine, nec valide, nec licite servi, mancipia sine domini consensu. 2, Monachi sine consensu Communitatis. 3. Prodigi, ut tales a Iudice de-

clarati 4. Pupilli sine Tutoris consensu. 5. Minores sine Curatoris consensu. 6 Filii familias.

4. Ea solum vendi possunt, quae juxta leges acquiri possunt. Hinc vendi possunt res mobiles, ut suppellectiles, fructus etc., res immobiles, ut fundus, vinea etc., res incorporales, ut Jus in re, et ad rem, debita haereditas, res nondum existentes, sed futurae, ut fructus futuri etc. res in spe, ut captio piscium etc.

5. Nec licite, nec valide vendi possunt res, quae non sunt in commercio hominum, ut res communes, aer, mare, viae publicae Sacramenta, bona Dotalia etc.

6. Licite vendi nequeunt res perniciosae, et optimis moribus contrariae, vel ex se, vel ex pravo ementium usu, non quod venales non sint, sed quia ementibus perniciosae. Sic idola non possunt vendi Paganis, sinagogae Judaeis, libri obscaeni, venena, cibi fracturi Jejunium, aut vigiliam, vinum inebrians, arma pro injusto bello etc.

7. Res vendi possunt, et emi vel absolute, vel conditionate, vel in perpetuum, vel ad tempus, vel conjunctim, vel disjunctim, modo inter contrahentes conveniat, modo fiat justo pretio.

8. Dum fit emptio, et venditio, contrahentes non debent se mutuis dolis malis decipere, sed mutuo juvare commercio, venditor rem tradendo venalem emptori utilem, et non noxiam; emptor tradendo monetam probatam, non falsam, non fractam, non fucatam. Emptor enim, et venditor debet omnem omnino fraudem, et dolum abjicere, et bona fide contrahere, et qui non steterit pactis, peccat, et ad damni restitutionem tenetur. v. EMPTIO.

VENEFICIUM v. MAGIA.

VENENUM componens homines necandi gratia, reus est homicidii, morte secuta. Venenum vendens, aut apud se retinens eodem fine, reus est homicidii. Eodem fine, aut propinans, aut mandans propinari, reus est homicidii. Homicidium veneno commissum ultimo punitur supplicio, et committens non gaudet Immunitate Ecclesiast. v. HOMICIDIUM.

VERBA LIBIDINOSA. v. ACTUS IMPUD. LUXURIÆ n.3.

VERITAS *illa est, quae repraesentat rem, prout in se est absolute, et simpliciter,* et hoc modo illud dumtaxat judicium intellectus est verum, quod est objecto conforme, ut se habet a parte rei, idest, quod ita judicat de objecto, prout ipsum revera se habet.

2. Homo tenetur praecognitam veritatem toties occultare, quoties ex veritatis manifestatione honor Dei, et utilitas proximi contrarie subtraherentur. Sed

3. Toties tenetur veritatem praecognitam manifestare, quoties id exigit ordo virtutis, seu ita postulant honor Dei, et proximi utilitas. Ergo

4. Quoties homo vult aliis suos conceptus vel verbo, vel facto manifestare, ita debet esse sincerus, et candidus, ut nihil agat, aut dicat contra veritatem. *S. Thom.* 2. 2. *a.* 3. *ad* 1.

VESTES Clericorum v. MUNERA CLERIC. *n.* 2.

VIATICUM v. EUCHAR. *n.* 14. EXTR. UNCT. et RENOVATIO.

VICARIUS Generalis Episcopi, *ille est, qui vices Episcopi gerit.* Hic non solo nutu, vel verbo, vel privatis literis constitui potest, sed literis publicis per plures Testes, et per Sacramentum obsignatis, et sigillo Officii munitis, et ab ipso Episcopo subscriptis, et in regestro publico insinuatis.

2. Vicarius generalis debet constitui in temporalibus, et spiritualibus, qui eligitur, debet esse tanto officio idoneus, aetate, moribus scientia natus ad minus 25 annos, moribus optimis, et scientia non communi.

3. Canonicus regularis potest esse Vicarius generalis, immo et Monachus, modo Religionis suae socium habeat, Religiosus mendicans nequit esse. Hoc officium nequit gerere Officialis Regius, ut Praeses: Consiliarius: Balivus, sed nec Laicus etc.

4. Auctoritas Vicarii Generalis ex literis, quibus instituitur, dignosci potest. Talis, tantaque est ejus auctoritas, qualis quantave ei ab Episcopo conceditur. Si generaliter constituatur *in temporalibus, et spiritualibus,* ut mos est, poterit omnem actionem spiritualem pertinentem ad jurisdictionem

Episcopalem exercere, quia generale mandatum ad nihil restringitur, ut poterit interdicere, suspendere, excommunicare, dispensare etc.; sed non poterit per se ipsum exercere actiones pertinentes ad characterem Episcopalem, ut, confirmare, ordinare, Abbatissas benedicere, Ecclesias consecrare etc. 6. Demum, ut certo constet de auctoritate Vicarii Generalis in conferendis beneficiis, in admittendis resignationibus, et in his peragendis, quae ad praxim beneficiariam spectant, debet Episcopus expresse eam potestatem publice in literis exprimere etc. IMPEDIMENTA v. in SUPPLEMENTO.

VIGILIÆ. v. STATIONES, *n.* 4.

VINDICTA *Est actus justitiae, quo justa poena rependitur pro punienda culpa.* Hinc vindicatio, quae fit vel ex livore, vel ex odio, vel ex malevolentia, est peccatum tanto gravius, quanto majus ulciscentis se malevolentia, ut, praeter Script: ait *S. Thom.* 22. *q.* 108. *a.* 1., quia opponitur charitati. Peccant ideo privati homines, qui, auctoritate propria, sibi usurpant id, quod sibi reservavit Deus, qui enim ex se ulcisci volunt, non zelo justitiae ducuntur, sed livore, et odio. Sic vindicantes se coram Iudice, non ex zelo justitiae, sed, ut irato satisfaciant animo, operantur; Qui enim coram Judice ultionem quaerit, id facere debet cum hominum dilectione, soloque odio vitiorum, solum pacis bonum sibi proponens. Vindicta, quae fit auctoritate non privata, sed publica, non animo nocendi, sed solum animo cohibendi malos, et bonos tuendi, non est peccatum. Sic. *D. Thcm. ibid.* Cum ergo vindicta fit cum praedictis circumstantiis est actus justitiae, ideoque non peccatum, sed actio licita. Hinc

2. Non peccant privati, qui coram Judice condignam exigunt injuriarum satisfactionem. Possent certe condonare, sed licite etiam possunt satisfactionem exigere. Sic videmus servatum in veteri testamento, sicut et in novo, immo Ecclesia interdum censuras contra eos infligit, qui pro injuriis satisfacere recusant.

3. Non peccant personae publicae, quae pro accepta injuria debitam exigunt satisfactionem, immo, non exigentes,

peccarent, quia eorum injuria, vel in Deum, vel in Ecclesiam, vel in rempublicam redundat; tunc enim ipsimet debent eam injuriam ulcisci, juxta regulas prudentiae, vel propriae, vel alienae. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 108. *a.* 1. *ad* 4. Caveant tamen in auctoritate publica constituti, ne, sub specie boni publici, privatas injurias ulcisciscantur.

4. Cum ira sit appetitus vindictae, idem est de ira dicendum, ac de vindicta. Unde ira est licita, vel illicita, ex parte objecti, ex parte modi. *S. Thom. ib.* v. DILECTIO.

VIOLENTIA. *Est causa involuntarii simpliciter*, quia violentum dicitur illud, quod fit contra naturam, atque intrinsecam inclinationem rei, cui tribuitur. v. METUS. ACT. HUM.

VIRTUS definitur a S. Aug. *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur.*

2. Dividitur virtus in *Intellectualem, Moralem, Theologicam.* Prima est illa, quae perficit intellectum in ordine ad cognitionem veri, et quinque habet partes; ceu: *Intelligentiam*: *Sapientiam*: *Scientiam*: *Prudentiam*: *Artem*: Moralis perficit voluntatem in ordine ad quodcumque bonum honestum: et hujus sunt partes: *Prudentia*: *Fortitudo*: *Temperantia*: *Justitia*, quae virtutes nuncupantur Cardinales. Theologica illa est, quae circa Deum immediate versatur, suntque illius partes *Fides*, *Spes*, *Charitas v. suis locis.*

3. Virtus moralis spectari potest. *In statu perfecto*, et est illa, quae tam perfecte possidetur, ut omni contrario possit facile resistere: *In statu imperfecto*, et sic non ita est firmata, ut habeat plenam rationem habitus difficile mobilis, sed simplicis tantum dispositionis, quae inclinat utique subjectum ad bene operandum, sed non tam fortiter, ut omnem possit vincere difficultatem.

4. Virtutes morales non sunt necessario interse connexae, si spectentur in statu imperfecto, nam experientia constat, multos promptos esse ad opera misericordiae, sed non sic ad opera Castitatis. Si considerentur in statu perfecto, sunt connexae, quia virtus sic considerata efficit, ut quis lubenter

sine mora operetur in propria illius virtutis materia; non autem sic, qui vel una virtute fuerit destitutus, sic se gerit, ut patet in muliere casta, sed avara, aut meticulosa, si enim illi offeratur ingens pecuniae quantitas, aut mortis minis intentetur, facile castitatis jacturam patietur.

VIRTUTES Theologicae sunt: *Fides*, *Spes*, *Charitas*

VIRTUTES Cardinales sunt *Prudentia*: *Justitia*: *Temperantia*: *Fortitudo*: v. *suis locis*.

VIS v. IMPEDIMENTUM *n.* 7. Vis est rei maioris impetus, et cui resisti non potest l: 1., et 2. *ff.* 2. *quod vi*. Violentia probata, res amissae probantur per juramentum injuriam passi, et super valore rerum amissarum, taxa Judicis praemissa, et petentis juramento, locum habet condemnatio. *c. in primis* Vis privata est, quae sine armis fit, et ejus poena est tertiae partis bonorum confiscatio, infamia, et privatio omnium Officiorum, et Dignitatum. Sed vis publica, quae fit cum armis, plectitur confiscatione omnium bonornm, et deportatione. *Oinot. de interd. Recuperandae.*

VISUS Libidinosus. v. ACT. IMPERF. LUXURIÆ.

VITIA opposita religioni, sunt *Superstitio*, et *Irreligiositas*. Prima opponitur per excessum, altera per defectum.

VNCTIO EXTREMA v. EXTREMA UNCTIO.

VOLUNTARIUM *est illud, quod procedit a principio intrinseco, nempe voluntate cum intellectuali cognitione, vel actuali, vel virtuali, vel interpretativa, hoc est, quae potuit, et debuit haberi, esto defuerit etc.*

2. Dividitur in *perfectum*, quod fit cum plena advertentia, plenoque consensu. Et in *Imperfectum*, quod fit cum semiplena advertentia, et consensu: In *Directum*, quod in se, et secundum se est volitum: In *Indirectum*, quod non est in se, secundum se volitum, sed censetur volitum in alio directe volito - *Interpretative volitum*, illud est, quod non est positive volitum, sed prudenter censetur volitum: v. ACTUS HUMANI.

VOLUNTAS Dei. Potest considesari, ut *Causa*, et ut *Lex*. ut *ccusa* est principium, vel effectivum, vel permissivum

omnium, quae in mundo evenire cernimus: Ut *Lex*, est regula omnium agendorum, vel omittendorum. Hinc

2. Voluntas Dei considerata, ut *causa*, est principium effectivum omnium bonorum, quae auxilio Dei facimus, et principium permissivum peccatorum omnium, quae malitia nostra committimus: considerata vero, ut *Lex*, est regula omnium, quae aut agere debemus, aut omittere. Si enim, ut ait Script. *Ester*. 13. *v*. 9. omnia sunt sub Dei ditione, omnia voluntati Dei subjiciuntur, quatenus est *Lex*, quod si nihil potest resistere voluntati Dei, omnia, quae fiunt in mundo voluntate Divina, pront est *Causa*, vel effectiva, vel permissiva, eveniunt. Deus est causa universalis, ergo est principium effectivum omnium bonorum: Est principium permissivum peccatorum, ideo dicitur *Amos* 3. *v*. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*? Deus est supremus Legislator, quem in omnibus consulere debemus. Voluntas ergo Dei, ut *causa*, vel efficit, vel permittit omnia, ut *Lex* est regula omnium.

3. Ergo voluntas Dei, ut causa efficit, vel permittit omnia, ideoque in omnibus, quae eveniunt in mundo, adoranda est, non curiosius scrutanda. *Altiora te ne quaesieris*, ait Sapiens: Voluntas Dei in operibus naturae, tam rite, et sapienter concinnatis est et contemplanda, et laudanda. In operibus gratiae, in quibus Deus, *cujus vult miseretur*, *et quem vult indurat*, non audienda est ratio humana superbe ratiocinans, sed auscultanda fides Catholica, ac humiliter credere. In operibus justitiae, in quibus Deus punit peccatores, et remunerat justos, non accusandus, sed laudandus, ut ait *Ap*. *Rom*. 9. *vers*. 22., et benedicendus, quod misericorditer per gratiam Christi salvet quamplurimos, qui in poenam peccati Adae, potuisset perdere singulos. In peccatis, quae permittit adoranda est suprema Dei bonitas, ut docet S. Aug. *Ench*. c. 11. ubi docet, quod *Deus adeo est potens*, *quod etiam bona potest facere de malis*; Sed nequaquam inculpandus, quod ea etiam peccata puniat, quae permittit, ut docet *Paulus Rom*. c. 3. *v*. 5.

4. Voluntas Dei, ut *Lex* est regula omnium: quae agere debemus, aut omittere, ideoque totis viribus scrutanda, ut monet Sapiens. *Quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper* Consulenda itaque, et inquirenda volutas Dei est, seu Lex aeterna, ut nos ipsos dirigamus, simul, et alios v. EPITOM. THEOLOG.

VOTUM *Est deliberata, et spontanea promissio Deo factà de meliori bono possibili*. Dividitur in *Reale*, quo res aliqua promittitur, ut eleemosyna, peregrinatio etc. In *Personale*, quo promittitur actio viventis propria, ut Jejunium etc. In *Mixtum*, quo promittitur propria actio, et res aliqua, ut distributio bonorum pauperibus cum ingressu in religionem.

2. Votum personale dividitur in *solemne*, quod ab Ecclesia approbatur, et in perpetuum est acceptatum: In *simplex* quod emittitur, absque acceptatione Ecclesiae saltem in perpetuum. Et hoc dividitur in *absolutum*, quod sine ulla conditione, et *conditionatum*, quod cum aliqua conditione emittitur. Obligatio servandi vota, est gravis in re gravi, et levis in levi. Votum tribus modis cessare potest. *Irritatione*: *Dispensatione*, et *Commutatione*. v. *suis locis*. v. COMMUTATIO VOTI.

USUCAPIO v. PRÆSCRIPTIO.

USURA sumpta pro lucro def. *Lucrum ex mutuo immediate proveniens*. Sumpta pro contractu usurario est *contractus mutui, quo lucrum ultra sortem exigitur, vel intenditur tamquam debitum praecise vi mutui*. Est peccatum contra justitiam.

2. Dividitur in *realem*, quae percipitur ex contractu mutui cum pacto explicito, aliquid supra sortem exigendi, et vocatur *aperta*, cum pactum est explicitum: cum vero est implicitum, ut cum quis vendit supra pretium summum, ob dilatam solutionem, dicitur usurà palliata: In *mentalem*, quae intenditur a mutuante, sed in pactum non deducitur, quod si recipiatur a mutuante, debet restitui, quia recepta est sine dubio,

3. Dividitur ultro, in *usuram sortis*, quae percipitur ex pecunia data: et in *usuram usurae*, quae percipitur ex lucro usurario. Hanc recipere ex quovis titulo, sive lucri cessantis, sive damni emergentis prohibitum est *l.* 28. *cod de Usuris*.

4. Usura prohibita est Jure Naturali, Divino, Canonico etc. ita ut, nec Lex, nec consuetudo patria, nec conditio ulla, potest usuram reddere licitam, quia est intrinsece mala, et a Deo indistincte prohibita; ideoque nihil absolute recipi potest supra sortem *S. Thom.* 4. *Sent. d.* 15.

5. Utrum liceat, aliquid supra sortem exigere ob lucrum cessans, et damnum emergens? Resp. quod aliquid supra sortem exigi potest, dummodo mutuum sit vera causa damni emergentis, lucrique cessantis; et mutuatarius de hoc moneatur; dummodo compensatio, non sit major damno, vel lucro, deductis sumptibus faciendis, et periculis subeundis, dummodo lucrum sit certum, vel probabiliter percipiendum, non autem solum possibile, de quo ratio non habetur. Hinc falsus est omnis titulus sumendi interesse, nisi interveniat vel lucrum cessans, vel damnum emergens, quidquid aliqui sentiant Theologi.

6. Usurarius beneficio absolutionis gaudere non potest, nisi usuras restituat, fructusque perceptos, exceptis mere industrialibus. Nisi ante mortem restituat, tenentur haeredes, quia onus restituendi remanet affixum bonis defuncti: et si usurarius sit occultus, Parochus est consulendus, confessarius, vel alius probus etc. Praeter usurarios, ad restitutionem tenentur consulentes, dantes pecuniam hoc animo, et fine: omnesque illi, qui causa damni fuere, ut *Factores, Proxenetae* vulgo *Sensali* etc.

7. Usurarius notorius fit infamis in utroque jure, ideoque irregularis. Privatur communione Altaris, et Ecclesiastica Sepultura, nec ejus recipi possunt oblationes. Non debet ad confessionem admitti, nisi satisfecerit, vel cautionem dederit. Irrita sunt ejus Testamenta etc. Clericus usurarius, nisi

monitus desistat, plectitur suspensione ab Officio, et Beneficio ferenda usque dum restituat.

VSUS CHRISTIANÆ Moralis. v. PROLEGOMENA.

VSUS FRUCTUS. *Est jus alienis rebus utendi. et fruendi, salva earum substantia.* Fructus rei dicitur, quidquid salva rei substantia ex re illa est perceptibile,

2. Usufructuarius debèt solvere impensas, quae ratione fructuum percipiendorum fieri debent. Tenetur praestare collectas, tributa et similes praestationes, ut moris est. Tenetur rem habitam recte colere, et ut vir probus custodire. Sed v. *Juristas pro hac re.*

VSUS JURIS dupliciter sumitur. De ipso actu utendi re alterius, et dicitur *usus facti*. Hinc usuarius, cui e. g. hortus est concessus, potest quidem in eo ambulare, poma percipere, sed non omnis arbitrio suo vendere, sicut posset, si usumfructus haberet illius horti.

VXOR CIRCA DOTEM. v. DOS, PROPRIETAS DOTIS.

VXOR CIRCA DOMESTICA FURTA v. FURTUM.

VXOR in adulterio deprehensa non potest occidi, sicut nec adulter, sed tantum dimitti, *SS. Thom. et Aug.* Uxoris obligationes sunt. Inhabitare cum Marito: illi in re gravi obedire; fidem conjugalem servare. Prolem, si habet, in Dei timore educare etc. Sed v. IN CORPORE OPERIS.

SUPPLEMENTUM.

Hae quae sequuntur, pertinent adhuc ad Literas respective tam primae, quam alterius partis Epitomes alphabeticè dispositae, quas suo loco invenies.

A

ABUSUS Claustri, quibus tota Religionis machina corrumpitur, sunt duodecim. I. Praelatus negligens. II. Discipulus inobediens. III. Juvenis otiosus. IV. Senex obstinatus. V. Monachus Curialis. VI. Causidicus. VII. Habitus pretiosus VIII. Cibus exquisitus. IX. Rumor in Claustro. X. Lis in Capitulo. XI. Dissolutio in Choro. XII. Irreverentia circa Altare.

2. Abusus quoque Saecularium sunt duodecim. I. Sapiens sine operibus. II. Senex sine religione. III. Adolescens sine obedientia. IV. Dives sine eleemosyna. V. Foemina sine pudicitia VI. Dominus sine virtute. VII. Frater contentiosus. VIII. Pauper superbus. IX Rex iniquus. X. Episcopus negligens. XI. Plebs sine disciplina. XII. Populus sine lege. *Gloss. clem: te in agre* De statu Monachorum.

ACCEPTIO PERSONARUM. In judiciis valde damnabilis est, ut dicitur Proverb. 18. *Accipere personam in judiciis, non est bonum.* Et in regulis Juris in 6. dicitur. *In Judiciis non est personarum acceptio habenda.*

2. Quod etiam habet locum in iis judiciis, quae relinquuntur arbitrio Judicis, seu de quibus lex nihil statuit.

3. Hoc vitium acceptionis personarum, non tantum offendit bonos, et malos, sed laedit etiam communem utilitatem: unde Antistenes interrogatus, quae res civitatibus exitum portenderet, respondit: *Cum in his*, inter bonos et malos nullum fuerit discrimen.

ANIMAL. Quicumque occidit animalia domestica, quae in suo praedio inferunt damnum, peccat mortaliter, et absolute tenetur ad restitutionem, quia non habet jus, id faciendi, sed solum expellendi, et postea contra eorum domi-

num, competentibus actionibus ad damnorum refectionem agendi. *l. Quintus Mutius* 39. et alias etc.

2. Dicitur tamen, quod, quando non sufficit expellere, tunc animalia capi, et includi possunt, non quasi animo illa domino celandi, sed donec de damno eorum Dominus monitus satisfaciat, tunc vero solum occidere licet, quando aliter grave damnum proprium evitare non possumus. *Nav. c.* 15. *n.* 2., *et alii*.

3. Hoc non habet locum, quando consuetudo, statutum, vel privilegium contra disponeret, seu concederat. *Nav. c.* 17. *n.* 120. *et alii.*

4. Si animal ferum, puta Avis, vel Apes, in laqueum cadat, et alius, qui laqueum non paravit, eximat, quidam putant esse ejus, qui laqueum paravit, quia fera bestia, cum sit primi occupantis, tunc dicitur ejus, qui laqueum paravit, quia tunc dicitur capta, et occupata, cum naturalem amisit libertatem. *Bonac. de restit. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 7. *n.* 10. 11.

5. Alii legitima ratione subnixi putant esse eximentis, licet alius paraverit laqueum, quod enim in nullius bonis est, primo conceditur occupanti *l. in laqueum* etc. Sic est intelligendum salvo semper, quando statutum, vel Consuetudo aliter disponit. *Navar. c.* 17. *n.* 176.

ANTICHRISTUS SS. Patres plura nomina excogitarunt *Antichristi*, conficientia numerum ex literis conflatum 666. quod S. Evangelista Joannes insinuavit in Apoc. cap. 15. Graeca sunt omnia. *Antemos* idest *Contrarius*, *Arnoyme*, idest nego; *Teitan* idest Gigas, *lampetis*, idest Illustris; *Lateinos*, idest latinus, praeter unum latinum *Diclux*., ut refert *Nicol. flosc. verb. Anticristus*.

ANTIPHONA. Cum praeintonantur Antiphonae, omnes ab utroque Chori latere debent surgere, non obstante consuetudine contraria. *S. R. Congr. in Perus.* 13, *Martii* 1602.

APOCHA vocatur Instrumentum, Scriptura, Chirographum; quae tribus testibus subscripta probat, quia censetur tamquam scriptura publica. Debent tamen Testes esse supersti-

tes, vel eorum subscriptiones per alios Testes recognosci. Leg. Scripturas Cod. qui potior in pig. habeantur, cap. Script. 2. de Fide Instrum. Unde Glossa fin. d. l. ponit hoc Disticon.

Cautio privata, jam trino teste notata,
Hoc jus est nacta, quod Cautio publica facta

2. Apocha a Partibus subscripta, obligat ipsas ad omnia in ea contenta; licet non habeat subscriptionem Testium, quae contra subscribentem et haeredem non requiritur. *Rota ap. Ludovisium dec.* 328.

AQUA Benedicta. Auctorem aquae benedictae vult. Gavanti. T. 1. p. 4. tit. 19. n. 8. fuisse Sanctum Mattheum Apostolum, ad similitudinem Elisei Prophetae, qui 4. Reg. c. 2. v. 21. miscendo salem in aqua, illius sterilitatem fugavit, et quidem Ecclesiam ad similitudinem Elisei instituisse benedictionem Aquae cum sale, aliis relatis, tradit Tirinus in loco Scripturae citat., Rhab. Maur. de Instit. Cler. l. 2. c. 55. Alii putant benedictionem hanc aquae fuisse institutam a S. Clemente Papa I. Alii a S. Alexandro item Papa I. Sed verius, et probabilius est Pontifices istos suo quisque Decreto hunc Ritum confirmasse tantummodo.

Effectus Aquae Benedictae ad morbos etiam corporis se extendit curandos, ut aperte ostendit. *Baronius T.*8. *Annal.*598. pluribusque aliis in locis; et *Jobi cor. car.* 1. *c.* 27.

Quoad alios vero spirituales effectus, non est dubium aquam benedictam maximopere prodesse tum ad Daemones fugandos, tum etiam ad venialia peccata remittenda, ut optime notat S. Thom. 3. p. q. 65. a. 1. ad 6. et ad 8. q. 8: ante 3. ad. 3, q. 87. a. 3.

Alios etiam uberrimos praestat effectus: nempe animum ad orationem disponit, ac distractionibus divertit: Tempestates fugat; Terram ab immundis, ac nocivis animalibus eam vastantibus, ejusque fructus damnificantibus, purgat, atque fertilitatem affert, aliaque innumera viventibus affert beneficia tam corporalia, quam spiritualia, ut notat *Settal in suo de Mister dalla Messa*, italico idiomate transcripto.

In benedicenda aqua utitur sale benedicto, quia sal significat poenitentiam, et contritionem; aqua baptismum. Poenitentia autem, et Contritio debent baptisma praecedere, ut observat Durand. in Ration. Div. Officior. l. 4. c. 4. n. 9. Quod autem adhiberetur sal in benedictione aquae, statuit Alexander Papa V. a B. Petro secundum *Microl. de Eccles. Observ*: cap. 46. Putatur tamen Pontificem hunc ritum tantum confirmasse, cum constet ab Apostolis derivasse.

ARMA Armorum appellatione generica, non tantum gladii, sed fustes, lapides, et quidquid nocere potest, intelligitur *l. Armatos.* item *Lex Julia de vi n.* 1.

2. Arma prohibita portans, ultra poenam Statuti, debet arma perdere; nam portans arma praesumitur habere malum animum: *est comm.*

3. Clericis tamen, per ministros Laicos neutiquam auferri possunt: nisi in casu evitandi aliquod delictum, an imo tamen, ea reddendi postea, vel ipsis Clericis, vel eorum superioribus. *Diana.* 5. *tr.* 1. *res* 4.

4. An autem arma prohibita portans peccet mortaliter? Affirmative respondent *Sanchez, et alii comm.* Navarr. vero negative *a.* 23. *n.* 55. Reginaldus et alii, quorum certa opinio probabilis est, quia probabiliter sustineri potest, legem poenalem non obligare in conscientia; dummodo suis tanta cauthela portet, ut non se conjiciat in probabile periculum poenae mortis, vel alterius gravis incomodi. *Diana de Leg. res* 18. *v. Lex*.

5. In prohibitione venationum, vel armorum delationis, omnibus etiam clericis facta, non debet opponi poena excom: ipso facto incurrendae, nec privatio privilegii Clericalis, sed aliae poenae Sacrorum Canon. *S. Congr.* 1601. 2. *Apr.*

AROMATARIUS. Non potest contrahere societatem cum Physicis, et Chirurgis. Greg. XIII. Const. 29.

2. Aromatarii habent privilegium prioritatis, et potioritas contra quoscumque Privilegiatos. Clem. VIII. Const. 47.

3. Clerici non possunt exercere officium Aromatarii, neque in Hospitalibus, sine licentia Papae, vel S. Congr. 1591. Palermo 23. April. 265.

4. Regulares item non possunt Aromatariam tenere, nisi pro se ipsis, quo casu non potest visitari a Protomedico 1602. *Napoli* 9. *Januari*. 1. Sicut nec quamlibet aliam artem, sive apothecam, nisi pro se ipsis. *Visit. Apost. Urbis* 29. *Augus*: 1637.

5. Permitti potest Regularibus, et Monialibus, praesertim pauperibus, vendere medicinalia suae Aromatariae, renovandi gratia, maxime pretiis moderatis: 1602 Napoli 26 Maji 18. Nam supradictum Decr. Visit. Apost. non habet locum extra Urbem. Et idem dicendum de aliis locis Piis.

6. Ex creditis Aromatariae taxantur, seu deducantur viginti pro quolibet Centenario. 1653. Rimini 30. Apr. 145.

7. Ad majorem commoditatem, et minorem sumptum, decocta, infusiones, distillationes, et similia fiant intra claustra, sive Clausuram *Ibid.*

ARS. ARTIFEX. Quid contineat septem Artes liberales explicatur hisce septem carminibus; ut refert *Ostien. in Summa tit. tit. de Magistris paragr. quam sententiam etc.*

GRAMATICA. Quicquid agunt artes, ego semper praedico partes.

DIALECTICA Me sine doctores, frustra coluere sorores.

RHETORICA: Est mihi dicendi, ratio cum flore loquendi

MUSICA: Invenère locum per me modulamina vocum

GEOMETRIA. Rerum mensuras, et earum signo figuras

ARITMETICA. Explico per numerum, quid sit proprio rerum

ASTROLOGIA: Astra, viasque Poli vindico mihi soli

2. Artis perfectio consistit in judicando, non autem in percipiendo, et ideo reputatur melior artifex, qui volens peccat in arte, quasi habens rectum judicium, quam qui peccat nolens, quod esse videtur ex defectu judicii. Sed imprudentia est, ut dicitur in 6. *Ethicorum*. Etenim, qui volens pec-

cat, quasi deficiens in principali actu prudentiae, qui est, praecipere, quam qui peccat nolens. S. Thom. 2. 2. q. 45.

3. Artifices peccant mortaliter, si ea faciant, quibus homines, non nisi cum peccato, uti possunt, ut, si quis formaret Idola picturas obscaenas etc., secus si ea faciant, quibus homines, et bene, et male uti possunt, ut gladios etc. *S.Thom. n.* 2. *q.* 169. *a.* 2. *ad* 4. Et qui talia facit, vendit, dat, sciens abusurum; vel dat gladium irato etc.; peccat, quia charitas jubet impedire malum, cum potest, sine gravi incommodo. *Bonac.* excusat illum, qui Gentili vendit Idolum, qui eo creditur abusurus, quia ait, Idolum non est de se necessario determinatum ad malum: potest enim servire ad delectationem, ad domus ornatum etc, quae ratio et in fabricante locum habet. Ast multo probabilius est contrarium, propter plerosque Martyres, qui potius cruciatus, et mortem subire voluerunt, quam Idolis thus offerre. Est comm. DD.

ASSASSINUS Ille proprie dicitur, qui accepta, vel promissa pecunia, mandatum dedit, vel acceptavit ad occidendum hominem, etiam effectu non secuto. *Farinac. cons.* 99. Improprie vero, qui ad verberandum, vulnerandum etc., et hic non privatur Imunit., ille vero sic. *Jurba Cons.* 100. *Bonacina de Legibus, et alii.*

2. An dicatur proprie Assassinus, Testis, vel Judex, qui falsum dixit, vel injustam tulit sententiam, ut innocens morte periret? affirmative respondent multi, quia mandatum accipit ad occidendum.

3. Assassinii crimen declarari debet a Judice Ecclesiastico Clem: VIII. Const. 73.

AVOCATIO CAUSARUM. Cum ex Decr. S. Congr. die 16. Octobr. 1600. relato apud *Basseum*, prohibitum sit, ne superiores, ut Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, Nuncii, vel Legati a latere causas in Curiis Ordinariorum pendentes ad se advocent, nisi per viam appellationis legitimae; attamen Generales Regularium possunt avocare ad se causas pendentes coram Praelatis inferioribus. *Basseus Avocatio n.* 1.

2. Idem possunt etiam Provinciales, dummodo hoc non

prohibeatur a Constitutionibus Ordinis, vel a Generali. *Suarez T. 4. de Relig. Tract. 8. l. 2. c. 2. n. 26.*

3. Cum Praelatus Superior avocat ad se Causas ab inferiori non est necesse, quod in avocatione exprimat motivum, ob quod fiat dicta Avocatio. *Ex cap. Caeterum, et cap. Pastoralis §. ult.*

B

BACULUS. Baculi Pastoralis significatio his versibus continetur.

In Baculi forma, Praesul, datur haec ibi norma
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum
Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta. Gloss.

De usu Baculi Past. vid. Caerem: Episc. l. 1. c. 17.

2. Romanus Pontifex non utitur Baculo 11. Propter historiam; quia S. Petrus baculum a se removit, et suo discipulo dedit, ut ejus tactu resuscitaret Collegam mortuum, quem cum eo direxerat in Germaniam, et ille postea discipulus, qui Baculum receperat a Petro factus est Episcopus Treverensis; unde in Dioeces. Treverensi Rom: Pontifex, utitur Baculo. II. Propter mysticam rationem; quia Baculus habet in summitate quamdam recurvationem; quasi ad trahendum, quod non est necessarium Romano Pontifici, quia cum Ecclesia non possit esse nulla, nec potest ab illo finaliter divertere. III. In signum, quod Romanus Pontif. non habet coarctatam potestatem, id, quod curvatio Baculi significat. IV. Quia per Baculum significatur coercitio; et ideo alii Pontifices recipiunt a suis Superioribus Baculos, quia potestatem ab homine recipiunt, Romanus vero Pontifex non utitur Baculo, quia potestatem recipit a solo Deo. *Gloss. c. unic. 5. Ungitur etc. S. Thom. Supplem. q. 20. a. 2. ad. 8.*

BALDACCHINUM In Ecclesia, nullus neque Dominus loci, praeter quam Episcopus, potest erigere; et Episcopus omnibus sacrorum Canonum remediis hujusmodi Baldacchinum

omnino removeri facere debet. *Sacra Episc. Congreg. in una Bojanen* 12. *Jan*: 1594. Etiamsi Episcopus esset absens 1594. Milan. 2. *Aug*. 216.

2. Episcopus erigere potest Baldacchinum etiam in Eccles. Regularium, quando ibi de jure, vel consuetudine functionem aliquam Pontificalem, etiam cum sola Cappa facere debet. 13. *Jan*. 1603. *fol*. 43. Decretum integrum retulit in *Can. lib*. 3. *tit*. 31. *de Regular. n*. 44. *Nicol*. etc.

BAPTISMUS. Proponitur dubium de Baptismo Georgianorum, qui fieri solet a duobus Ministris, uno aquam infundente, et alio formam pronunciante; communiter concluditur Baptismum illum, vel esse nullum, juxta D. Thomam, S. Bonaventuram, áliosque permultos Theologos, vel saltem dubium; ideoque Georgianos omnes eo ritu baptizatos, usu juxta Ecclesiae Catholicae praxim sub conditione rebaptizandos.

BARBA. Comam, aut barbam nutrire, Clerici absolute prohibentur. *C. Clericus, de vita, et honest. Cleric.*

BREVIARIUM. S. Pius V. in Bulla, quae incipit *quod a nobis*, edita ann. 1568., significat causam edendi Breviarii Romani fuisse ad tollendam orandi varietatem. Ipse vero tollit, et abolet Breviarium a Card. S. Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria, quae ex institutione, vel consuetudine legitima non superabant 200. annos. Hinc obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut Breviario Romano utantur, alias non satisfaciant muneri suo. Sed tollit peccati obligationem, quae erat, recitandi in choro Offic. parv. B. M. V., Defunctorum, Psalmos Poenitentiales et Graduales, sed hortatur, ut eadem recitentur propositis Indulgentiis.

2. Clemens VIII. in Constitutione incip. *Cum in Ecclesia* edita ann. 1602. Breviarium in multis depravatum, in pristinum statum restituit, illudque sic restitutum, in Typographia Vaticana imprimi, et divulgari jussit, prohibuitque, ne alibi imprimatur, nisi juxta exemplar Vaticanum, sub poena Excommunicationis latae sententiae.

3. Urbanus VIII. in Constitutione, quae incipit. *Divinam Psalmodiam*, edita anno 1631. Hymnos, ad metri, et Latinitatis regulas revocavit. In Psalmis, et Canticis, interpunctionem editionis vulgatae restituit: Sermones, Homilias, et Sanctorum Historias collatus veteribus Manuscriptis recognovit.

4. Quum in dies nonnulla Sanctorum Officia, sub praetextui quod a Sacr. Rit. Congregatione concessa fuerint per universalem Ecclesiam, aut loca particularia recitanda, impressa conspiciuntur: jubet, ut hujusmodi officia imposterum a Typographo Camerali dumtaxat imprimantur, et inde alibi imprimenda transmittantur, ut patet in Decreto generali ejusd. S. Rit. Congr. lat. die 11. Augusti 1691. num. 3096.

5. Praeterea, quia in materia Div. Officii, nonnullae a casu, istis adinventae fuerunt relaxativae opiniones, eas S. Sedes reprobavit, prout apparet ex Decreto Alexandri VII. edito anno 1665. Propositiones autem in hac materia damnatae, sunt. I. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, etc. debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena II. Habens cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccles. si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet. III. In die palmarum recitans officium Paschale, satisfacit praecepto. IV. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti, et crastina. V. Et est ab Innoc. XI. damnata an. 1679. Qui non potest recitare matutinum, et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad seminorem.

C

CALCULUS Multis modis sumitur, qui duobus his exametris continetur.

Calculus est ratio, numeros, sententia, carbo

Calculus est pondus, nummus, lapis acutus. Gloss. 12. in c. Praeterea.

2. Creditor, vel Debitor petere possunt, ut de novo fiat Computatio, quo videatur, an sit erratum in calculo, nec ne? licet antea fuerit inter eos formata ratio. *Oinot. de act. etc.*

3. Calculi fieri, et formari debent cum interventu, et consensu utriusque partis, adeo ut si calculatores eligantur a judice moneri debeant partes ad intercessendum, quia cognitio, etiam extrajudicialis, sine partium presentia nequit haberi, maxime stante stylo, bilancia non fieri, nisi cum partium interventu, vel approbatione, et illis dissentientibus, per deputatum a Judice, ipsis monitis. *Data ap. Farin. d.* 515.

4. Calculus fieri non dicitur, nisi examinatis omnibus, et singulis rationibus, unde, si partitae spectantes fuerint omissae, calculus non valet n. 15.

CANDELAE. Episcopus non debet permittere dare candelas in die Purific. B. V. Mariae 1577. *Ostuni* 22. *Jan.* 58. quo die non debent recipi de manu, vel Syndicorum vel Laicorum, sed Episcopi. Qui Laici, neque se ingerant in eis ponderandis 1578. Perace 15. Jan. 49.

2. Episcopus provideat expensis propriis de quantitate cerae pro congrua distributione; juxta solitum, nec gravet populos, vel Parochos pro aliqua insolita contributione. 1578. *Perace* 15. *Jan.* 49.

3. Parochus quoque secundum consuetudinem universalem tenetur eo die distribuere candelas ovibus suis. 1593. *Bisignano* 27. *Octob.* 1273.

In Ecclesia non per domos, nisi quis eo die fuisset legitime impeditus. 1581. *Fuligno* 31. *Jan.* 36.

4. Si Parochus, vel qui tenetur, omittit eo die dare candelas earum pretium erogari debet in paramenta, et alia necessaria pro Ecclesia. 1601. *Nullius Fasanella* 2. *Apr.* 120. 8.

5. Et Candelae distribui debent juxta solitum, etiam quoad pondus, ubi tamen facultates Ecclesiae non suppetunt, datur Episcopo facultas diminuendi pondus. 1616. *Oria* 25 *Jul.* 85.

CANONICUS, qui Canonicatus privilegium obtinuit cum futura successione, non tenetur ad horas Canonicas. Coadiutor enim Canonici, non est vere Canonicus. BASSEUS verb. CANONICUS.

2. *Erectio* Canonicatum fit a sola Apostolica Sede. Neque supra numerum ad futuram praebendam. *Ex S. C. C. Barbosa de Canon. c.* 2. *n.* 24. Sed absque jure ad futuram praebendam possunt ab Episcopo Canonici supra numerum creari. *Fagnanus cap. Dilect. de praebenda*. Canonici supranumerarii possunt obtinere Parochialem sine alia dispensatione, et gestare habitum ab ipsis Canonicis gestari solitum, modo resideant in Parochiali *lib.* 108. 148. *Ferrarien* Canonici vero numerarii non possunt esse, neque Vicarii amovibiles Parochorum Dioecesis extra suam residentiam *l.* 108. *Ircha* 165.

3. Formulam collationis Canonicatuum faciendae per Episcopum, ponit *Barb. de Canon. c.* 14. *n.* 36. Et Canonicus, adepta possessione secundi Canonicatus, non potest de primo disponere per resignationem, vel permutationem *C. C. Mechlin.* 19. *Jan.* 1641. Provisio Canonicatus valet, licet non fuerit expressum, quod habebat curam animarum per turnum. 580. *Como* 8. *Nov.* 3.

4. *Fructus* Canonicatuum consistere debent in stabilibus vel Montibus, non in censibus 1607. *S. Severino* 28. *Mart.* 21. Stipendia vero constituta a Capitulo pro Theologo, et Poenitentiario, possunt etiam a Canonicis obtineri *ex CC.*

5. *De qualitate*. Canonici debent esse literati, et magis probatae vitae, licet non sint nobiles, et tales etiam de prae-

bendis, et canonicatibus Cathedralium sunt providendi; enim vero tales etiam ad Praelaturas, et Consulta Principum assumuntur, nec valeret statutum, vel consuetudo, quod ad Canonicatus alicujus Ecclesiae non admittantur, nisi nobiles, et eminentis scientiae, saltem ad excludendum provisum Apostolicum. c. Venerabilis 37. de praeb. Barbosa de Canonic. c. 13. n. 3.

6. *Aetatem* habere debet Canonicus, ut intra annum initiari possit, ordine requisito, saltem subdiaconatus, si est Cathedralis, vel Collegiatae habens ordines annexos. *Ut in tit. de aetate* Canonico a Sede Apost. proviso, cum narrativa, quod ipse constitutus erat tantum in anno aetatis suae 18. integrae debentur distributiones, esto de jure medietas tantum deberetur; in hoc enim casu censetur tacite dispensatus. *S. Conc. Congr. in una Reatina* 9. *septembris* 1625.

7. *Habitus.* Canonici Regulares in Episcopos promoti habitu utantur Episcoporum saecularium.

8. *Praecedentia.* Canonici Cathedralis praecedere debent Parochum etiam in Funere, non autem alii. Inter Canonicos vero, praecedentia datur Archipresbytero si stolam deferat. S. Rit. Congr. Circa Canonicos Collegiatos inveniuntur contrariae decisiones. Ast inspicienda consuetudo, optima legum interpres. Inter Canonicos ratione Doctoratus etc. non datur praecedentia, sed tantum ratione Dignitatis, Ordinis, antiquitatis etc. *Barbos de Canon.*

9. *Jus optandi.* Non habet locum in mense reservato, neque in Praebenda Theologali, et Poenitentiaria.

10. *Residentia Distributiones.* Canonicus, etsi Choro intersit, nisi tamen psallat, distributiones quotidianas nequaquam lucratur *C. C.* 7. *April.* 1618. Sed multo minus si quis non sit praesens in Choro, vel Ecclesia, sed in civitate tamen. *Eadem. ex. c.* 1. *de Cler. non resid. in* 6. Canonicus cogi non potest ad mutandam Ecclesiam, vel locum S. R. C.

11. Episcopus non potest concedere Canonicis, ut officient in Sacristia. Potest tamen connivere pro diebus ferialibus

in tribus anni mensibus magis frigidis. 1604. *Segni* 12. *Junuar*. 5.

12. *Capitulum*. Canonicus Vicarius intervenire potest in actibus Capitularibus, dummodo non agatur de interesse suo, vel Episcopi, quia tunc exire debet. *S. C. Conc.* 2. *Mart.* 1619. Nisi tamen adesset in contrarium immemorabilis, et sic dicatur de Dignitatibus, et Canonicis 1615 *Cemeten* 13. *Martii* 89. §. 8.

13. Canonicis prohiberi potest per Episcopum, vel Vicarium, ex justa tamen causa, ne convocent Capitulum; secus autem si justa adsit causa. 1641. *Amelia* 13. *Septembris*. Nec Canonici tenentur dicere Episcopo, quid tractare velint in Capitulo. 1603. *Andria* 25. *Febr*. 22.

14. *Canonici obligationes et onera*. Canonici cogi debent ad ediscendum Cantum Gregor. Regulariter autem cogi non possunt ad audiendas Confessiones, nisi curam habeant animarum per turnum, vel suae praebendae sit annexa, et excepto Poenitentiario 1601. *Ancona* 12. *Jan*. 4.

15. Ubi numerus Canonicorum est exiguus non tenentur Canonici se parare cum dignitatibus, et dignitates ipsae tenentur accedere ad legile. *Ancon.* 20. *Agost.* 1601. Si vero numerus sit competens, tenentur se parare in illis solemnitatibus, in quibus Missa Pontificalis cantaretur si adesset Episcopus. 1602. *Genova* 17. *Apr*. 36.

16. Canonici legitime impediti possunt cantare Missas, et explere alias functiones Sacrorum Ordinum per alium Canonicum, non vero Div. Officium, neque per Sacerdotem exterum 1597. *Gubbio* 25. *Jun*. 52. Omnes autem Canonici indifferenter tenentur servire omnibus diebus Dominicis, et Festis de Praecepto, totoque Adventus, Quadragesimae, et Octavae Corporis Christi tempore; Aliis vero diebus saltem dimidia pars. 1588. *Aquila* 26. *Julii* 138. Sed nec Episcopus majorem solito vacationem concedere potest, quae non debet exedere tres menses in quolibet anno 1578. *Catania* 20. *Jan*. 50.: quam etiam S. C. concedit nullam vacationem habentibus 1605. *Aquileja* 28. *Jun*. 42. 5. Sed qui non intersunt

horis Canon. absque protervia, vel contumacia mulctari non debent in alio quam in distributionum amissione, 1617. *Tropea* 21. *Febr.* 31.

CARDINALIS, Dicuntur Cardinales, qui Papae sicut Apostoli Christo, assistunt, in quorum Collegio manet potestas Papae, eo mortuo, dupliciter. Primo quantum ad radicem, quia eligunt, et constituunt Pontificem, Secundo, quantum ad materiale, quia pe electionem determinant personam in Papatu. BASSEUS verb. CARDINALIS.

1. Duo Fratres Germani nequeunt esse Cardinales, neque filios habentes, neque Patruus, cum Nepote simul, nisi Papa dispenset ob justam causam. *Julius III. const.* 22. *Sixtus V. const.* 50.

2. *Habitus* Ad uniformitatem Cardinalitii habitus. Cardinalibus omnino vetitum usum vestium Lugubrium, quoad eorum Personas, ipsisque injungendum, quod toto anni tempore in Pileis communibus, et aequorum lemniscis, vulgo flocci, rubeum colorem semper adhibeant. *Alex. VII. ann.* 1655.

Dignitas. Cardinales sunt majores, etiam Archiepiscopis, licet sint tantum Presbyteri. *Diana* 5. *tract.* 2. *resol. ad* 1. Immo etiam Patriarchis non solum ordinariis, sed etiam quatuor principalibus Patriarchis, nempe Constantinopol. Alexandrino, Antiocheno, et Jerosolimitano. *Diana ib.*

3. Cardinales, Apostolica Sede vacante, non possunt creare Cardinalem; licet possint Papam, quod plus est; quia Papam proprie non creant, sed eligunt tantum. *Glossa Ne Romani* Numerus Cardinalium non desumitur a 72. Discipulis, sed a septuaginta senioribus, qui Moysi assistebant.

CARNIUM aesus, saltem universaliter apud omnes videtur introductus post Diluvium, ut ex *S. Thom.* 1. 2. *q.* 102. *a.* 6. *ad* 2:, *et Genes. q.* 3.

CINERES. Sicut Quadragesima, seu Jejunium quadraginta dierum habuit pro objecto, et fine, ut homo per poenitentiam rescipisceret a viis pessimis, et disponeretur ad sacram sumendam Eucharistiam, sic omnem curam habuit Ecclesia homini illa proponere media, quae facilius fervorem, verumque Re-

ligionis spiritum excitarent. Inter haec est Cinerum Sacrarum impositio prima die Quadragesimae. Revocat enim hominis memoriae id, quod primo parenti dicit Deus: *Memento homo, quia pulvis es* etc. Sunt haec verba magni incitamenti ad recte, et bene vivendum, ad omnia vitanda delicta. Quando nam, et quinam hanc instituerit caeremoniam? mihi est incertum. Dicunt aliqui institutorem S. Telesphorum Pont. post. S. Petrum, in sede 7. Alii alia dicunt: sed sat est scire hujus caeremoniae objectum.

Feria IV. Cinerum incipimus quadragesimale jejunium, non quod haec dies sit quadragesimae initium, ut notat *Bauldr. part. 4. cap. 4. n. 1.* quia adhuc non dicuntur vesperae mane, et quadragesima a prima illus Dominica incipit. Est tamen IV. feria initium poenitentiae, in qua ideo imponuntur Cineres in capite fidelium, ut memores sui principii, et finis caduca hujus mundi relinquant, et poenitentiam amplectantur, monente *Rupert. lib. 4. cap. 10.*

Nec incongrue incipimus jejunare a die IV. Cinerum siquidem, ut observat Durand lib. 6. cap. 28. Christus, qui feria tertia fuit Baptizatus, fer. 4. jejunare coepit. SSmus Pontifex Gregorius Magnus, ut jejunio quadragesimale esset dierum 40. addidit quator dies, qui uniti 36. efficiunt 40.

COEMETERIUM Martyrum, aliorumve Primitivae Ecclesiae Christifidelium sepulcra extra Urbem pro majori parte sita (vigebat enim tunc Lex Imper., qua Cadavera in Urbe sepeliri prohibebatur propter foetorem, exceptis eorum, qui triumphassent) diversis olim censebantur nominibus. Interdum *Areae*, *Tumbae*, *Catacumbae*, *Criptae*, *Arenariae*, ut plurimum Coemeteria, scilicet Dormitoria, quod propter futuram resurrectionem potius ibi, quiescere videantur dormientes, quam in cere sepulti. Olim multa erant celeberrima Romae coemeteria, et ad cognitionem nostram, 43 enumerantur hodie.

Et sunt. Primum, et celeberrimum Calisti in Via Appia. 2. Calepodii via Aurelia. 3. Vaticani, in quo S. Petri, et aliorum Summorum Pontificum corpora Condita sunt. 4. Os-

trianum via Salaria, in quo idem S. Petrus dicitur baptizasse cujus fit mentio in Actis Liberii Papae. 5. Ad Nimphas Via Nomentana, in Praedio Severae Septimo ab Urbe Lap. 6. Soteris haud longe a Coemeterio Calisti 7. Juxta quod situm erat Coemeterium Zephirini 8. Praetextati via Appia 9. Pontiani. 10. Ciriacae Matronae in agro Verano. 11. Lucinae via Aurelia. 12. Aproniani via Latina 13. Felicis Papae via Aurelia, secundo ab Urbe lapide, juxta Criptam S. Crescentionis. 15. Timothei via Ostiensi, ubi nunc est Basilica S. Pauli. Novellae via Salaria. 17. S. Balbinae inter viam Appiam, et Ardeatinam. 18 Julii via Flaminia. 19. Aliud ejusdem Nominis. 20. Aliud ejusdem Nominis via Portuensi. 21. Damasi. 22. Anastasii in Exquilino. 23. Hermetis via Ardeatina. 24. Nicomedis. 25. S. Agnetis via Noment. 26. S. Felicitatis. 27. Jordanorum. 28. Nerei. 29. SS. Felicis, et Adaucti. 30. Tiburtii, et Valeriani 31. SS. Petri et Marcellini via Labicana. 32. Marci via Aurelia. 33. Quarti 34. S. Agatahe. 35. Ursi Pileati. 36. Cardianum. 37. Inter duas Lauros. 38 Ad Clivum Cucum. 39. Thrasonis via Salaria. 40. Ciriaci via Ostiensi. 41. Petronillae. 42. Januarii. 43. Simplicii, et Serviliani.

2. Coemeteria non possunt prophanari absque licentia Summi Pont., quia Concilium concedit solum prophanationem Ecclesiae, et in odiosis non est facienda extensio, quae licentia non conceditur propter causam prophanam, neque ex eo quod amplius ibi nemo sepeliatur.

3. Sacra Congreg. an. 1615. censuit ex Conc. Trid. posse ab Episcopo prophanari.

3. De excommunicatione ingredientium in Coemeteria Urbis sine licentia, varia est opinio v. EXCOM.

Ad expurgationem Coemeterii teneri eum, penes quem residet animarum cura, et funeralium emolumenta percipit: in subsidium vero teneri popolum.

COMMUNITAS Status Ecclesiastici disponere non potest de suis bonis sine speciali licentia Papae, vel S. C. de bono Regimine 1621. *Rimin. 9. Jan. 4.*

2. Communitates non possunt facere Consilium in Conventibus Regularium, nec ordinationes aliquas in praejudicium Regularium. 1613. *Osservanti*. 30. *Jul*. 8.

CONSTITUTIONES BENEDICTI PAPÆ XIV., ad morum sanam doctrinam promovendam attinentes Indicatio exponitur tantum.

Constitutio I.

Contra Clericos saecularibus negotiis se immiscentes: Incip. *Apostolicae Servitutis* anno 1740.

Decretum.

Jussu SSmi D. N. Benedicti XIV. editum, circa celebrationem Missae in Oratoriis privatis, incip. *Cum duo Nobiles* anno 1741.

Constitutio III.

Ejusdem Pontificis circa Jejunium incip. *Non ambigimus* an. 1741.

Constitutio IV.

Ad Episcopos directa, qua Superior Constitutio circa jejunium declaratur, incip. *In suprema* an. 1741.

Epistola Encyclica ad Episcopos directa, qua duae superiores Constitutiones circa jejunium declarantur incip. *Libentissime quidem*.

Ven. Fratri Archiep. Compostellae. Bened. PP. XIV. Incip. *venerabilis Frater* 1744.

Confirmatio, et ampliatio Constitutionis Sanctae Mem. Gregorii P. XV. *Contra Sacerdotes, eorum Poenitentes in Confessionibus Sacramentalibus ad turpia sollicitantes,* quae incipit *Sacramentum Poenitentiae* 1741.

Declaratio.

Superioris Constit. incipientis: Sacramentum Poenitentiae, incip. *Apostolici muneris* 1741.

Constitutio VIII.

Qua cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur. incip. *Universalis Ecclesiae* an. 1741.

Constitutio IX.

Qua praescribitur Ordo, et forma in Judiciis Causarum Matrimonialium, super Matrimoniorum validitate, vel nullitate declaranda, servandus. incip. *Dei miseratione* 1741.

Constitutio X.

Ad Episcopos directa

Circa contractionem occultorum Matrimoniorum, incip. *satis vobis compertum esse* 1741.

Constitutio XI.

Super Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium. incip. *Regularis Disciplinae* 1742.

Constitutio XII.

Super clausura Monialium incip. *Salutare in Catholica Ecclesia* 1742.

Constitutio XIII.

De Doctrina Christiana praesertim pueris tradenda, quae incipit. *Etsi minime* 1742.

Constitutio XIV.

De Parochorum Electione incip. *Cum illud semper* 1744.

Constitutio XV.

Ad locorum Ordinarios directa, de Missa a Parochis applicanda pro populo, deque reverenti Divini Officii in Choris recitatione. incip. *Cum semper oblatas nobis* anno 1745.

Constitutio XVI.

In qua nonnulla circa usuram declarantur, incip. *Vix pervenit* 1743.

Constitutio XVII.

De Episcoporum residentia. incip. *Ad universae* an. 1746.

Constitutio XVIII.

Contra quamdam pravam praxim in administratione Sacramenti Poenitentiae, incip. *Ad eradicandam* ann. 1746.

Constitutio XIX.

De Regularibus ab Episcopo Dioecesano ordinandis: incip. *Impositi nobis* anno 1747.

Constitutio XX.

Qua ampliatur Episcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo

constitutis, etiam per alios, tam in Civitatibus, quam in Dioecesibus ab ipsis subdelegatos, incip. *Pia Mater* 1747.

Constitutio XXI.

Qua ordo praescribitur pro Causis super nullitate Professionis Regularis mature discutiendis, et valide definiendis. anno 1748.

Constitutio XXII.

Super designatione Confessariorum extraordinariorum pro Monialibus anno 1749.

Hasce Constitutiones in Bullario Lambertiniano contentas prae manibus habere facillimam Theologi Morali sternent viam ad intelligenda, morum, disciplinaeque arcana.

CONTRIBUTIO Cessat, finita causa, propter quam fuit imposita. Pro Fabrica Ecclesiarum etc., procurari potius amicabiliter, quam per vim, Clerici non contribuant gabellis impositis per Salario Medici, Chirurgi. 1612. *Trani 6. Octob.* 95.

D

DÆMONES dicuntur amare sanguinem: et ideo quoties Necromantia fit, cruor aquae miscetur, ut colore sanguinis facilius provocentur. *c. nec mirum* 14. §. *Necrom.* 26. *n.* 4. 5.

2. Daemones non vident in se ipsis animi nostri cogitationes, sed bene conjiciunt aliquando per exteriora signa *D. Thom.* 1. *q.* 57. 4. *cap.*

3. Dubitatur a quibusdam; an Daemones possint esse causa instrumentalis generationis. Huic quaestioni respondet *S. Thom. in* 2. *sent. dist.* 8. *a.* 3. *ad* 2. *his verbis.* Ad 2. dicendum, quod quidam dicunt; Angelos bonos, vel malos nullo modo posse generare, et quod illa anctoritas *Gen.* 6. *Ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt,* intelliguntur per filios Dei, illi, qui de Stirpe Seth descenderunt, per filias autem hominum, mulieres de stirpe Caiu. Sed quia contrarium a multis asseritur, potest dici, quod sicut per semina aliarum rerum naturalium faciunt Angeli effectus naturales: ita per semen hominis, operentur ad homi-

nis generationem. Quod quidem fieri potest, dum aliquis in corpore assumpto praebet se viro *succubum, incubum* mulieri. Hoc autem non convenit puritati bonorum Angelorum, sed immunditiae malorum. Similia habet *S. Doctor. quest.* 51.3.6.

4. Aristoteles, malos esse Angelos credere noluit, deceptus ab ipso suo familiari daemone, quem de oculo Veneris discendisse opinabatur. Vivebat Aristoteles ante Christum natum ann. 350. v. *Bibliot. San. lib. 3. annot.* 131.

5. Maleficorum cum Daemone pactum facientium. Gregor. XV. poenam inflxit.

6. Possumus Daemones adjurando per virtutem Divini Nominis repellere, ne nobis spiritualiter noceant, vel corporaliter secundum potestatem Divinam datam a Christo *Luc.* 10. Non tamen licet eos adjurare ad aliquid ab eis discendum, vel etiam per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum eis habendam, nisi forte ex speciali Dei instinctu, vel revelatione Divina aliqui Sancti, ac aliquos effectus Daemonum operatione utantur. Sic legitur de B. Jacobo, qui per Daemones fecit Hermogenem ad se adduci. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 90. 2. *c.* 8. Sic Legimus de S. Francisco de Paula, qui in multis operibus ope Diabuli est usus, et sic multi alii etc.

7. Daemonum praesentia adeo terribilis est, ut ipsa B. Virgo Maria, Filium suum, dum cum ipso degebat in terra, orasse legatur, ne moriens quempiam spiritum cerneret immundorum. Aliqui etiam defuncti, et resuscitati, retulerunt viventibus, quam copiose, et terribiliter Daemones eis apparuerunt, ante, et post egressum de corpore. *Dionys. Chart. de* 4. *Noviss. p.* 1. *de Morte c.* 3. *circa fin.*

DAMNATUS. In hoc mundo bona damnatorum hodie non confiscantur: sed vel descendentibus, legitimis tamen et naturalibus, vel Ascendentibus, vel etiam collateralibus usque ad 3. gradum applicantur, nisi damnati fuissent propter crimen haeresis, vel lasae Majestatis. *Auth. Bona damnat*: *c. de bonis etc.* Damnati ad mortem non possunt eligere Sepulturam. *Lavor. tit.* 2. *c.* 11. *n.* 41. Damnato ad mortem parcitur, si est bonus Artifex, et utilis Reipublicae *l. ad*

Bestias 31. Damnatus ad tempus non expressum, intelligitur damnatus ad septem annos: ob contumaciam vero, donec satisfecerit *c. ex literis*. Condemnatus de Homicidio in contumacia, si fuerit in Curia praesens, ante dispensationem debet se sistere, et purgare contumaciam. *Congr. Conc.* Justificatio exteri condemnati de homicidio in contumacia, non remittitur Vicario Urbis, sed ordinario loci commissi delicti *C.C.*

DAMNATUS in Inferno. Etiam habet inclinationem ad virtutem, alioquin non esset in eo remorsus conscientiae: sed quod ista inclinatio non reducatur in actum, contigit, quia deest gratia secundum divinam justitiam S. Thom. 2. 2. quest 85. a. 3. Credibile tamen est, quod post resurrectionem erit in damnatis vocalis blasphemia, sicut et in Sanctis vocalis laus Dei *Isaj.* 15. *D. Apoc.* 18. 5.

DECOCTOR. Decoquere est consumpto Patrimonio Creditores pro credito fraudare. Unde decoctores vulgo vocantur *Falliti*, quia creditoribus fidem fefellerint.

DOCTOR. Doctores catholici non possunt in Causis Eccles. consilium dare officialibus haereticis illud petentibus.

1. Doctorum *creatio*. Doctores in Alma Urbe, tam in Jure Civili, quam Canonico creari non possunt, nisi a Collegio 12 Advocatorum Concistorialium. *Julius III. Const*, 6. *Cum Sicut*. 1552. Ad doctorem approbandum septem saltem requiruntur Doctores *l. Si quis*. In Italia, examinatis, et approbatis statim traduntur insignia. *Benius* 3. *in princ. n.* 9.

2. *Salarium* Doctor, seu Magister publicum obtinens stipendium cum onere docendi, peccat aliquid accipiens, aut exigens ab Auditoribus. Alias exigere potest etiam a pauperibus non extreme egentibus. *l.* 2. §. *fin. ff. de Orig. Jur.*

3. *Insignia* Doctorum sunt, *Birectum* in signum Coronae: *Annulus*, quia Sponsus Scientiae est factus: item *libri cum Cathedra, Osculum*, et *Benedictio*. Quibus insignibus uti semper non cogitur Doctor: sed, si vult etiam coram Principe uti potest. Saltem tamen eum cum decenti toga convenit incedere. *l. fin. C. de Postul.* Doctorum Privilegia sunt Latissime interpretanda. *Haec omnia Benius Eugubinus in libello de Privil. Jurisconsult.*

E

ENERGUMENA MONIALIS. Viri neutiquam ingrediantur, ut eis cibum ministrent. 1576. *Pisa* 29 *Nov.* 11 Energumenae non transferantur alio, nec remittantur domum, 1577. Perugia 16. Septemb 15. 1604., Campagna 14. Nov. 85.

Energumena non potest eligi in Abbatissam 1642. *Vicenza* 3. *Sept.* 310.

CLERICUS, non Acolythus, qui solemniter cantat Epistolam cum Tunicella, et reliquis sacris vestibus, sed absque Manipulo debet petere dispensationem Irregularitatis ad Cautelam. *C. C.* 1604. *April.*

ERRONES Communiter dicuntur, qui incertis vagantur Sedibus. Et quia tales, ut plurimum de nocte furari, aliter vere nocere solent, S. Ambrosius in Hymno, qui canitur in Laudibus Dominicarum per annum, accipit pro furibus, latronibus, et hujusmodi farinae hominibus, qui de nocte nocere solent. Hoc, inquit, scilicet tempore aurorae, lucisque: Hoc omnis Erronum cohors, viam nocendi deserit.

EXAMEN. Ordinandus ab Ordinante debet examinari, nec sufficit, si antea fuisset examinatus a Praelato suo. C. *Quid est* 2. *dist.* 18. *c. Venerabilem* 34. *de Elect.* In Praxi tamen Ordinantes non curant saltem extra Urbem exteros Examinare, si constet fuisse a suis Praelatis, quod videtur conformius *Conc. Trid. sess.* 23. *c.* 3.

2. *Provisus* in forma *Dignum* approbari potest intra terminum executionis Bullarum, esto ab Examinatoribus, semel, vel pluries rejectus. Reprobatus vero in concursu, non amplius potest in eodem approbari, cum concurrentium praejudicio.

3. *Clerus* non potest ab Episcopo per Edictum generale ad examen vocari. Sed si singulorum sufficientiam noscere cupit in Visitatione id faciat suaviter. 1580. *Assisi* 20. *Junii* 87. Sed nec potest ab Antecessoribus promotos examinare, nisi ex nova causa. *C. C. Corduben.*

4. *Confessarii* examinati, et simpliciter approbati, ab eodem Episcopo iterum examinari nequeunt; a successore vero sic. 1593. *Avignone* 23. *Aug*. 22.

5. *Praedicatores* a suis Superioribus Regularibus approbati non possunt ad examen cogi. 1593. *Avignone* 22. *Aug*. 222.

6. *Parochorum*, licet exemptorum examen spectat ad Episcopum 1601. *Austria* 9. *Jan*. 49.

7. Stipendium non assignatur Examinatoribus de fructibus Beneficiorum vacantium, maxime Parochialium, ad quae fit concursus. Sacra enim Congr. Conc. 9. Martii 1581., censuit Archiepiscopum non posse hujusmodi stipendium assignare, et ratio est, quia Conc. Trid. vetat sess. 24. c. 18., lucru inquicquam prorsus accipi ante, vel post, occasione examinis.

8. *Examinatus*, et rejectus, recurrere potest ad S. C., ut ejus jussu examinetur de novo. 1603. *Crotone* 4. *Martii* 26.

9. *Famuli* possunt examinari ad defensam Dominorum suorum. 1604. *Bagnorea* 12. *Maii* 57.

10. *Regulares* non sunt ad examen compellendi, dum a saecularibus potest sufficienter veritas haberi. 1656. *Amelia* 11. *Apr*. 125.

11. Examen Monialium fieri debet ad Crates absque ingressu Clausurae. 1586. *Fano* 7. *Gen*. 1. Nisi necesse sit examinare Moniales infirmas, et tunc cum assistentia Vicarii, et Abbatissae. 1622. *Napoli* 11. *Junii* 11. In criminali, neque Commissarius A. C. permitti debet examinare Moniales 1614. *Narni* 14. *Nov*. 147.

EXECUTIO. Si Episcopus sine justa causa recusat exequi aliquod Brevi, mandatur alteri executio 1580. *Bitonto* 10. *Maj*. 96. Literae, licet per errorem alteri directae, debent expediri a proprio Ordinario 1650. 27. *Maj*. 24. Literae Apostolicae exequi debent, non obstante recursu ad Monarcham, 1605. *Catania* 18. *Apr*. 21. vel Rota inhibitionibus. 1645. 21. *Julii* 16. Sicut etiam literae Sacrae Congregationis 1600. *Sarzana* 12. *Dec*. 31. licet ante praesumptionem fuissent apertae. 1603. *Andria* 4. *Martii* 27. v. *Bonacinam de Leg*.

disp. 10. *q.* 2. *punt.* 1. §. 3. *n.* 13., *et Dianam* 1. *tract.* 2. *res* 13. *sect.* 12. *et* 5. *tr.* 1. *res* 12.

EXEMPLUM. Exemplo suo pravo inducens aliquem ad furtum, homicidium, vel aliud delictum, licet peccet, quando praevidit se id probabiliter posse timere; non tamen tenetur ad restitutionem, nisi consilio, vel alio suo facto induxit. *Bonac. de Legibus disp.* 2. *q.* 4. *pun.* 2. *de restit.* facienda, ob damna specialia.

EXORCISMUS *Non placet,* quod Regulares exorcizent sine Ordinarii licentia, qui id illis debet prohibere 1625. *Fiorenza* 22. *Febr.* 39. Et si id faciant cruculis, et aliis modis insolitis, mittantur in exilium. 1603. *Venezia* 27. *Oct.* 81.

2. Adhibitis debitis diligentiis ad cognoscendum, an Monialis sit revera vexata, datur licentia Sacerdoti saeculari vel regulari, moribus, et aetate gravi, eam exorcizandi in Ecclesia exteriori intra terminum ad summam sex mensium, coram Confessario, et duabus, vel tribus foeminis consanguineis, januis clausis. Modo expleto exorcismo statim reducatur in Clausuram. Si vero Spiritus, ut plurimum erunt ficti; carceres, flagella, jejunia, compedes, et similia intra clausuram erunt ejusmodi Energumenarum exorcismi. S. Congr. Multoties sic decrevit, et precipue ann. 1649. *Bologna* 8. *Octob.* 2. v. MONIALIS ENERGUMENA *in hoc supplemento*.

EXPLORATIO. Collocatae in Monasterio pro exploratione non permittitur aliquem alloqui praeter Abbatissam, nec accipere victum a consanguineis 1611. *Perugia* 9. *Dec.* 151.

2. Exploratio voluntatis Noviciarum ante Professionem fit, vel ad Crates, vel ad Fenestellam Communionis, vel etiam in Ecclesia exteriori 1621 *Napoli* 20. *Mart.* 41. Exploratio voluntatis pertinet ad Episcopum, in cujus Dioecesi situm est Monasterium. *Ravenna* 21. *Maj.* 1582. *l.* 3. 343.

EXTORSIO. Censetur extorsio, accipere pecuniam pro cassatione quaerelae 1603. *Rieti* 15. *Apr.* 43. ea poena extorsionis, est eadem cum poena concussionis; nimirum ut ultra restitutionem extortae pecuniae puniatur etiam criminaliter

poena extraordinaria: nec tollitur praescriptione. Non tamen extorsio praesumitur; unde accusatori incumbit eam probare. *Farin. Pract. Criminalis*. etc.

F

FABRICA Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici debent expendere redditus cum participatione Ordinarii, vel ejus deputati, non obstante contrario abusu. 1586. *Cremona* 4. *Mart.* 204. Et eleemosynae pro Fabrica debent deponi, donec incipiatur, in Sacro Monte si adsit. De redditibus autem Fabricae possunt erui annui census, in ejus utilitatem insumendi, dum in praesentiarum non est opus reparatione. 1593. *Larino* 22. *Nov.* 301.

FAMILIARES Episcoporum, et Cardinalium gaudent privilegio Fori, ut late probatur *in Can. de sent. excom.* Attestatio Episcopi, et Card: admittitur super vita, et moribus sui Familiaris *C. C.* 16. *Maj.* 1631.

2. Beneficia, quae ex indulto Apostolico conferenda sunt originariis, non possunt conferri exteris, licet sint familiares triennales Episcopi. *Beneventana* 25. *Maj.* 1604.

FESTUM. Sabbatum, quod significat primam creationem mutatur in Dominicam, in qua commemoratur nova Creatura inchoata in Resurrectione Christi. Et similiter aliis solemnitatibus veteris legis novae solemnitates succedunt: quia beneficia populo Hebraeo exhibita, significant beneficia nobis concessa per Christum. Unde Festo Phases succedit Festum Passionis, et Resurrectionis Jesu Christi. Festo Pentecostes, in qua lex vetus fuit data, succedit Festum Pentecostes, in quo data fuit lex spiritus vitae. Festo Neomeniae succedit Festum Bmae Virginis Mariae, in quo primo apparuit illuminatio Solis Christi per copiam gratiae. Festo Tubarum succedunt Festa Apostolorum. Festo Expiationis succedunt Festa Martyrum, et Confessorum. Festo Tabernaculorum succedit Festum Consecrationis Ecclesiae. Festo Cae-

tus, atque collectae, succedit Festum Angelorum, vel etiam omnium Sanctorum. *S. Thom.* 1. 2. *q.* 103. 3. 4.

2. Episcopus non potest mutare diem Festi, ne impediat concursum ad Cathedralem 1604. *Tropea* 15. *Maj.* 52. Episcopus non debet dare licentiam pro Nundinis, et Mercatis, praesertim pro die Dominico, esto aliquibus diebus Festivis tolerentur. 1587. *Fano* 3. *Julii* 151.

Non debent ab ordinario multiplicari Festa; Concilium enim *Trid. sess.* 25. *de Ref. c.* 12., non dat Episcopis novam facultatem indicendi dies Festos, sed supponit habere. Nec eadem die debet celebrari Festum in duabus Ecclesiis vicinis, sed moderna debet cedere locum, et intelligitur etiam de Oratorio privato. 1642. *Sabina* 20 *Nov.* 4.

4. Decretum Congr. Conc. vult, dari licentiam laborandi diebus Festis, ubicumque necessitas urgeat, vel pietas suadeat, et haec licentia solet ab Episcopo concedi, vel a Parocho, jam dixi ubi de sanctificatione Festi, causas excusantes a Festi observantia, scilicet justus metus, necessitas, pietas, utilitas, vitatio damni corporis, vel animae, sicque excusantur Puellae laborantes ad vitandum otium, vel ad ediscendum, ut faciendo Recamaturas, sicut Pictores pingendo etc. *Sic Navar Diana.* 3. *tr.* 5. *res.* 8. *et* 6. *tr. res.* 15. *multique alii*.

5. Larvae, Ludi, Choreae et similia tolerari possunt, post. D. Officium, praesertim in Baccanalibus 1616. *Segni* 13. *Maj.* 53.

Not. Romae autem non fiunt, neque diebus Festis, neque Veneris, neque anno Jubilaei, neque sede vacante. Aliis vero diebus non nisi post meridiem.

6. Poena pro trasgressione Festorum debet esse moderata, distribuenda locis Piis, deducta tertia pro Executore 1594. *Terracina* 14. *Dec.* 326. Res ideo nec possunt confiscari, nec formari Processus 1596. *Nicol*: 1. *Apr.* 29.

G

GRADUALES PSALMI. Sic dicuntur, et fuerunt instituti tempore Salomonis, et canebantur a Levitis simul cum Populo, dum ascendebantur quindecim gradus *Templi*, quod erat in Monte Sancto: ideoque hi psalmi dicti quoque fuerunt *Canticum Graduum*. Sic Duran. in Rational Div. *l.* 5. *cap.* 59.

Modus recitandi hos Psalmos videre est in Breviario. Ecclesia etenim hanc religiosam, et animabus proficuam adoptavit consuetudinem. Ordinavit ideo, ut in Choro hi Psalmi Graduales dicantur in Quadragesima quacumque Feria quarta non impedita festo 9. lection: excepta majori hebdomada incipiendo ab ipsa Fer. 4. Cinerum. Antiquitus tamen dicebantur frequentius, ut refert Rodulph. *de Canon. observ. proposit.* 21. Alia videantur apud Rubricistas.

Extra Chorum nulla adest obligatio dictorum Psalm., quidquid fuerit antiquitus statutum circa recitationem illorum: manifeste enim colligitur ex Bulla S. Pii V. initio Breviarii praefixa, et communiter *notant D. D. ac Rubricistae.* Immo recitantibus in *Fer.* 4. Quadragesimae Psalmos Graduales sive in Choro, sive extra Chorum. S. Pius V. in sua Bulla citata, remittit 50. dies de Poenitentia ipsis injuncta.

GRAECI, vid. in corp. Adiicitur, quod tolerandus est apud Graecos esus carnium in die Sabati, in locis ipsorum, et inter eos tantum, ubi sine scandalo fieri potest. Item, ut non teneantur ad jejunium Sabbatis Quadsagesimae, sed ad abstinentiam tantum uno Sabbato Sancto excepto: ipsi enim qualibet 4. *et* 6. Feria jejunant. *Clem. VIII. const.* 34.

Ritum latinum retinere debent latinae Graecis nubentes. 1590. *Trahu* 20. *Febr.* 56.

Filli Patris Latini, educari non debent ritu Graeco 1592. *Monreale* 24. *Sept.* 358.

Ad conservandam pacem, atque concordiam inter Ruthenos unitos, et ob alias gravissimas Causas. Urbanus VIII.

de consilio Ven: Fr. suorum decrevit, ne coetero Ruthenis unitis, sive Laicis, sive Ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, et praesertim Monachis S. Basilii, ad Latinum Ritum, quacumque de Causa, etiam urgentissima, sine specialis Sedis Apostolicae licentia, transire liceat.

Graeci postquam divisa fuere imperia, et a Latinis separati licet Ecclesiae Romanae subjecti remanserint, (quia subesse summo Pontifici de necessitate salutis est) non tamen tenentur legibus Pontificiis, vel Conciliorum General. etiam Oecumenicorum, nisi nominatim exprimantur, quia ipsorum mens, stante tali separatione, non est illos comprehendere. *Diana* 5. *tr.* 1. *res.* 25.

Hinc est, quod Matrimonium sine Parocho, et Testibus valet apud Graecos, quia *Conc. Trid.* non meminit expresse de ipsis; possuntque sine titulo promoveri. *In Can. c. tit.* 11. *num.* 30.

An Summus Pontifex intendat Graecos, et alios Sedibus Schismaticorum Patriarcharum subjectos, comprehendere in Bulla, Coenae et aliis Apostolicis Constit: in quibus casus sibi reservat, et Sedi Apostolicae: Congregatio particularis super hoc Romae deputata, mature expenso articulo, *negativè* respondit, excepta materia Dogmatum Fidei, et quando Papa de iis expresse meminit, et explicite, vel tacite, et implicite, ut in casu Schismaticorum, appellationis ad fut. Conc. delationis armorum ad Infideles, ut in Bulla Coenae, et aliis similibus 4. *Junii* 1631. *P. F.*

Graeci non servant interstitia, sed conferunt omnes Ordines Sacros eodem die. Congr. *Euchology.* 10. *Apr.* 1639., *et* 1645. *Palerm*: 6. *Oct.* 26.

Graeci inter Latinos existentes, observare tenentur dies festos Latinorum *Clem: VIII. constit.* 34. *Sanctissimus*

Ante Sacros Ordines Graeci utuntur Matrimonio contracto cum una unica, et virgine, siquidem votum continentiae in Ministris Altaris, Ecclesia Orientalis nun admisit. *c. Nuper dist.* 3.

Sacerdos Latini ritus, qui Matrimonium contraxit cum muliere ritus Graeci, potest reconciliari, praeviis examine,

abiuratione, et reassumptione habitus Clericalis. *Pignat. Tom. 20. cons.* 70.

Graecus Ordinatus a Schismatico Episcopo, potest habilitari in Ritu Graeco tantum ad executionem suorum Ordinum *Idem* Cum muliere, Graeca mortuo ejus conjuge Presbytero, potest dispensari, ut sit cum alio viro.

Non est concedenda facultas Sacerdoti Graeco, ut, extra casum necessitatis, Latinorum audiat Confessiones. Clem. VIII. *Altissimus*.

Sacra Congr. *P. F.* 1. *Jan.* 1626, censuit esse casum sufficientem necessitatis evitare occasionem dissensionis, et unionis turbandae inter Ruthenos unitos, et Latinos, unde non prohibendum. Nec latini confiteantur Ruthenis unitis, et e contra, ut magis eo modo coalescat unio, *Acta ad.* 59. *n.* 6.

H

HOSPITALE De Hospitalibus, et Hospitalariis quoad immunitatem, et Privilegium Fori v. *Pignatell. t.* 6. *Cons.* 90. *et* 84. De visitatione, et redditione rationum Hospitalium. v. *eumdem. T.* 7. *Cons.* 15. Item de Visitationis forma eorumdem *T.* 9. *Cons.* 146.

2. Multa sunt Hospitalium genera, ceu: *Xenones, sive Xenodochia*, locus venerabilis ad Pauperes Peregrinos recipiendos. Pochotrochium, locus, ubi pauperes pascuntur. Bebotrochium, ubi Senes, et valetudinarii, ac propter solam senectutem infirmi homines curantur. *Orphanotrophium* est locus, quo Pueri Parentibus orbati educantur. *Jerothochonium* est locus, in quo infantes Pauperum aluntur. *Gloss. c. Tributum* 21 *sanctimus*. 23. *q.* 8.

3. Horum omnium bona potiuntur Privilegiis Ecclesiasticorum. Instituta Hospitalis alterari non possunt ab Episcopo 1602. *Caesena* 17. *Apr.* 38. Scripturae, Decreta, Ordinationes, Statuta omnia Hospitalis, servari debent in Archivio tuto intra ipsum. 1606. *Toledo* 24. *Julii* 62, Et administratores, si bona Hospitalium sibi approprient, vel dilapi-

dent, removendi illico, et ad rationem reddendam eogendi. 2595. *Sarsina* 9. *Jan.* 343.

I

INCENDIUM. Praesumitur plerumque secutum inhabitantium culpa, levissima tamen: unde Conductores minime tenentur, nisi lata, vel levis culpa probetur. *Oinot. de action. Rota apud Ludos. d.* 278.

2. Sed nec in foro conscientiae tenetur ad restitutionem, nisi ex lata culpa processerit, secundum *Barbosa alleg.* 51. Nisi tamen quis ad emendationem damni cogatur per Judicem ex tertio cap. Legis Aquilae, in qua venit etiam levissima culpa. *Nic. de leg. Aquil. n.* 15.

3. Si domus aliqua destructa sit, ne totam viciniam destrueret ignis, tunc illud damnum omnibus vicinis debet esse commune. *Oinot. de rer. divis.*

INSTRUMENTUM. Est scriptura facta ad alicujus rei probationem in posterum faciendam *Oinot. in Rubu.* Duplicis generis est instrumentum unum publicum, alterum privatum.

2. Contenta in Instrumento deperdito probari possunt per Testes, qui illud perlegerunt, si deponant de tenore, et quod erat sine vitio. *cap. cum olim.*

3. Ex eo enim, quod Instrumentum non reperiatur, non sequitur, quod non fuerit factum, cum potuerit amitti, vel subtrahi, vel non protocollari. *Rota ap. Farin. T.* 1. *dec.* 525.

4. Subrahens Instrumentum, vel Peritiam, vel publici Archivj chartas incidit in poenam falsi. *l. Paulus* 16. *ff. n. de fal.*

L

LATA CULPA est non intelligere, quod omnes bene intelligunt: non facere, quod omnes faciunt, vel major pars; vel facere id, quod nulli, vel pauci faciunt. *l. lata ff. de verb.*

MUNDUS, quantum sit duraturus sciri non potest. In libro tamen, qui *Ascensio Eliae* nuncupatur, haec legi asserit Stratonicus Cumarum Episc. quae etiam habentur in libris Thalmudicis sub Haebraicis verbis, quae latiuo idiomate, sic sonant.

· *Sex millia annorum erit Mundus, et iterum destruetur: Duo millia inanitatis; duo millia legis: duo millia dierum Messiae.*

Haec de mundi duratione sententia, licet falsa, vel saltem incertissima, fuit tamen celeberrima priscis nostris Patribus inter quos

S. Hieronymus in Epist. expositione *Ps.* 89. *in versiculo Quoniam mille anni etc.* dicit ex eo, quod habemus in Gen. Deum creasse Mundum sex diebus, et in septimo quievisse, non solum id esse descriptionem praeteritorum, sed etiam typum, ac prophetiam futurorum. Omnes enim creaturae, et eo magis creaturarum universitas, debet, quo magis fieri potest suo Creatori assimilari. Debet ergo mundus operari motibus coelorum etc. sex millia annorum, et postea in septimo requiescere, ac sempiternum agere Sabbatismum quoniam illi sex dies descripti in primo cap. Genesis erant Symbola tot millium annorum, quia unus dies apud Deum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies. S. Petr. 3. 6. Septimus vero millesimus aeternitatem requietionis significat Ap. n. 20. 4. *et regnabunt cum eo mille anni*. Numerus enim finitus pro infinito in Sacris Scripturis saepius usurpatur, S. Aug. 3. *de doctr. Christi.* Sic sentiunt. SS. Ireneus, Aug. Lactantius, Joan. Chrysost. aliique permulti. Nihil tamen affirmare debemus temere, cum id D. N. J. Christus, nec flagitantibus Apost. revelare voluerit. v. Bibliot. Sanctam l. 15. annot. 190.

N

NATURALIS dicitur Filius soluti cum soluta, quae in domo tenetur unica, quasi loco uxoris.

NATUS Natorum appellatio pertinet etiam ad Nepotes *l. natorum de verb. signif.*

NEPOS Nepotes in jure dicuntur Filii filiorum, ex comm: usu etiam filii fratris. *Farin. I. c. Dec.* 176. 7. 8.

O

OBREPTIO illa est, in qua exprimitur falsum, quod movet Principum ad gratiam concedendam: subreptio vero solum, quando reticetur verum, quod jura jubent exprimi. Nam alioquin omnes gratiae essent subreptitiae, cum fere semper aliquid tacere contingat, quod si fuisset expressum, petitioni non annuisset Princeps. *Nav. c.* 22. *n*: 86. *Garzia, et alii.*

OLEUM Chrismatis, Cathecumenorum, et Infirmorum quidam probabile putant, ex dispensatione Apostolica posse confici, seu benedici a simplici Sacerdote. Bonac. de Sacram. disp. 7. 2. 3. Alii, communiter negant. Ajunt enim, quod Concilia assignando materiam horum Sacramentorum, dicunt esse oleum ab Episcopo benedictum. Ergo super hoc Papa dispensare nequit, quia Ecclesia non habet potestatem super essentialia Sacramentorum, *Filius sect. l. a.* 8. Insuper hoc docet nos Ecclesiast. traditio n. 72. Adest, et ratio congruentiae ex D. Thom:, ut inquam ostendatur virtus Christi quae in Sacramento operatur ad sacerdotes inferiores ministros per intermedios idest Episcopos, descendere. Quoad Chrisma non videtur contravertendum.

Sed quoad olea Cathecumenorum, et Infirmorum, prima opinio erit probabilis, quia Clem: VIII. 34. SSmus non reprobat ritum Graecorum, ex quo Presbyteri Graeci benedicere solent haec olea in ipsa Sacramentorum administratione immo illum approbare videtur.

ORATIONES MISSÆ cur dicuntur Collectae. Uranius in vita S. Paulini Episcopi Nolani, quae extat apud Surium die 22. Junii describens transitum S. Joann. Episc. Nèapolitani, sic dicit: Sabbato quidem secunda hora diei laetus ad Ecclesiam processit: et ascenso Tribunali, ex more populum salutavit, et resalutatus a populo, orationem dedit, et collecta oratione spiritum exhalavit. quorum verborum hic est sensus. Dicendo enim: ex more salutavit populum, indicat quod Episcopus ante orationem dicere consueverat, idest *Pax vobis* cum dicit *resalutatus a Populo*, significat, quod populus respondere solet *Et cum spirito tuo*: Cum dicit *Orationem dedit* est id, quod ante orationem praemittitur *Oremus*, et quod sequitur *coltecta Oratione*, *spiritum exhalavit*, videtur explicari cur Oratio dicatur Collecta. Nam cum salutato populo, ab eoque resalutatus, Episcopus populi communes praeces unica sua voce recitabat, et quasi colligebat, et ut Sacerdos Deo offerebat. Unde ut populi preces exaudiantur saepe collectae continent. Sed vid. *Gavant. in. Rubric. Miss. p. 1. tit. 3.*

P

POSTHUMI praeteriti (scilicet filii nati post obitum Patris, qui fecerat Testamentum) rumpunt Testamentum, etiam si nati statim in obstetricis manu moriantur, dummodo non sint monstra, nisi mortui fuerint adhuc vivo Patre, licet post factum Testamentum: quia si Pater postea decedat sine novo testamento succuritur haeredi Instituto per Bonorum Possessionem secundum Tabulas, et Testamentum sustentatur de Jure Praetorio. *l. Comodissime.*

PSALMI GRADUALES v. **GRADUALES PSALMI**.

Q

QUADRAGINTA HORARUM Oratio. S. Congr. dispensat, et concedit, ut in humilioribus locis adhibeantur octo lumina, cum assistentia sex personarum ad minus, quod et a Regularibus observari posse conceditur. 1588. Savona 22. Nov. 147.

Toto illo tempore adsit Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus cum Cotta, aut alius Clericus, aut persona sufficiens: 1589. *Savona* 4. *Julii* 22.

Si adsint duae Confraternitates in eadem Ecclesia, non debent habere hujusmodi Orationem eadem *die* 1590. *Palermo*.

Episcopus non potest cogere Regulares, ut eant ad Orationem 40. Hor. extra suas Ecclesias. 1581. *Salerno* 8. *Nov.* 139.

R

RECURSUS. Molestare, seu vexare recurrentes ad S. Congr. est directe contra §. 12. Bullae Coenae 1574. *Ferentina* 9. *Sept.* 12, Multo magis, si quis contra eos, licet Curatos, processum formet. 1606. *Andria* 15. 1060. 95. vel faciat aliquam executionem, etiam pro poenis contumacialibus, aut in Causis, in quibus prohibetur appellari: quia non ideo prohibetur recursus ad Sedem Apostolicam, et praeceptum factum ab Episcopo, ne pecuniae communes expendi possint occasione recursus ad Curiam Romanam, est nullum, quia ipsum recursum impedit indirecte 1604. *Nullius Maraggio* 15. *Nov.* 64.

REGALIAE sunt quaedam res, vel potestates, sive facultates, quae reservantur Principi in signum specialis praeeminentiae, de quibus est titulus, Quae sint Regaliae in usibus Feudorum.

Regalium nomine continentur - Angaria, quibus exiguntur personales praestationes, nempe pecuniae, et opera - Gabellae

Salinae - Piscariae - Ripatica - Portus. Hi redditus inter Gabellas, et Vectigalia computantur.

RESCRIPTUM impetratum ab illo, qui constitutus est in aliqua dignitate, non valet, nisi de di nitatè impetrantis in eo mentio habeatur *c. ad aures* 8. *de Rescript.*

S

SANCTITAS. Sanctitatis titulus hodie soli Romano Pontifici, olim etiam aliis competebat. *cap. Agapitus* etc.. Mortui cum odore, et fama Sanctitatis, vel Martyrii non possunt cum splendoribus depingi, neque eorum tumbis tabellae apponi, vel Imagines: quae tamen recipi debent et seorsim asservari, donec a Sede Apostolica canonizentur vel Beati publicentur. Item nec libri de vita, vel miraculis eorum imprimi possunt absque recognitione Ordinarii, qui simul cum Inquisitore potestatem habet talia puniendi. *Urbanus VIII. Congr. Instit. const.* 37. *SSmus*

SIGNATURA. Ad signaturam Justitiae recurritur in Causis, quae afferre possunt perpetuum praejudicium 1577. *Volterca* 12. *Jan. fol.* 14.

2. Signatura Justitiae non committit causas, quae pendent in S. C. vel coram ejus Delegatis 1613. *Nullius Casteldurante*, *e Cremona* 30. *Apr.* 41.

3. In rescriptis Signatura Gratiae non attenditur extensio Regentis, sed sola Signatura Papae, ad differentiam Signaturae Justitiae *Octob. dec.* 207.

SYNODUS Fieri debet ante visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. Episcopus autem potest Synodum congregare absque consilio Capituli: et non extante congruo Examinatorum numero in Dioecesi, potest alios deligere extra Synodum, donec habeatur numerus.

2. Ad Synodum admitti debent solum Curati, et Beneficiati, nisi esset consuetudo, quod interveniret totus Clerus.

3. Praelatus loci exempti siti intra Diaec. fines sibi tenetur intervenire, sicut et Curati Nullius *C. C.* Censuit enim

Rectores Nullius teneri accedere ad Syn. Diaec. illius Episcopi, qui, ut proximior, potest illas visitare Ecclesias 17. *Aug.* 1589. *lib*: 82. 30.

4. Euntes ad Syn. tenentur propriis vivere expensis non gravare Capitulum.

5. Decreta, et Constit. Synodales, antequam vim habeant debent interressatis ostendi, eisque prefigi duorum mensium terminus, ut si se gravatos senserint, ad ipsum Episcopum recurrere possint, vel ad Sedem Apostolicam. Non tamen ostendi Civitati, vel Laicis, priusquam promulgetur, aut imprimatur. Nec potest Episcopus cogere singulos Presbiteros, vel Clericos, ad comparandam sibi impressam Synodum, Congr. enim Concilii negative respondit 14. *Dec.* 1658.

STUPRATOR Non tenetur ante sententiam Judicis Virginem a se defloratam omnino dotare, quia id poena est. Poenam autem ante sententiam luere non est aequum. *Nav. c.* 16. *num.* 17.

T

TEMPUS PASCHALE Quoad obligationem communicandi in propria Parrochia, intelligitur a Feria V. in Coena Domini usque ad Dominicam in Albis inclusive S. Congr.

Qui non confitentur, et non communicant in Paschato non tamen sunt ipso jure interdicti, sed sunt interdicendi per sententiam, unde si ante declarationem moriuntur non privantur Ecclesiastica Sepultura modo obierint cum signis contritionis. S. Congr. consuluit contra morosos, et contumaces, licere Episcopo ad Excommunicationem procedere *l.* 18. 69.

V

VASA SACRA contingi non possunt, nisi a constitutis in Sacris *c. non oportet etc.* Non tamen videtur esse plusquam veniale, si sine contemptu fiat. *Bonac. de Sacr. d.* 4. *q. ultima*. De modo autem mundandi, ac conservandi sacra Vasa et Suppellectilia, multa paucis tradit *Gavant. Rubr. Miss. p.* 5.

VICARIUS. Vicariorum genera sunt multa. 1. Vicarius Papae, sive Apostolicus. 2. Episcopi, praecipue Generalis. 3. Capitularis. 4. Foranei. 5. Parochorum, aliorumque Rectorum. 6. Regularium. 7. Monialium. Sed breviter non gravabor hic aliqua per ordinem apponere, et quidem.

2. *Numerus*. Non debent dari plures Vicarii, sive Tribunalia, juxta dominia, ad quae se Dioecesis extendit. S. C. Sed quaelibet Civitas, et Diaecesis suum debet habere Vicarium.

3. *Jurisdictio*. Vicarius, quocumque habitu, et loco Divinis intersit, jurisdictionem sibi competentem exercere valet, modo permittat, suo quemque fungi officio, debet enim Chorum frequentare.

4. *Officium* Non debet Romam scribere, nisi pro re gravi puta pro delicto Contra Episcopum commisso etc.

5. *In functionibus*. Absente Episcopo Prima Dignitas subintrat, et caeteri per ordinem. Nec Vicarius, ut Vicarius, potest Missas cantare solemnes etc. sed tantum praeesse, ut omnia ordinate fiant. S. C.

6. *Pro exercitio Pontificalium* praesertim pro degradatione debet, absente Episcopo, aliquem advocare Episcopum vicinum.

7. Praecedentia Vicarius in Choro, si non sit Canonicus debet in digniori loco sedere, non tamen Solio Pontif.

8. *Incensum* non debet ter dari Vicario, licet Apostolico, nempe in principio Missae, post Evangelium, et in Offertorio, sed in Offertorio tantum: absente quidem Episcopo

ter, praesente vero bis ducto thuribulo. Neque ei deferri debet liber Evangelii deosculandus, quia haec sunt Episcopi privilegia.

9. Canonici compelli non debent ad sociandum Vicarium a Palatio ad Ecclesiam, hoc enim solius Episcopi est proprium.

10. Salarium, et emolumenta solita, praesertim de fructibus Mensae. Vicarius habere debet.

11. Vicarius quilibet, finito Officio suo, non ultra potest cognoscere de causis delegatis sub nomine Vicariatus. Nunc

12. Vicarius Apostolicus ille est, qui mittitur a Papa vel ab Episoopo Congr. cum Brevi, et Literis ad regendam aliquam Dioecesim, sive Sede plena, sive vacante cum tota Episcopali jurisdictione. Fusius Canonistae tractant.

VINUM De Uvis recens expressum, ingruente necessitate, potest consecrari mixtum aqua C. *cum omne crimen.* Si verc fieret extra necessitatem, peccatum esset grave, cum hoc non deceat propter impuritatem musti. S. Thom. 3. q. 74. 5.

Necessitas celebrandi cum Musto, non est solum, cum non potest haberi vinum, sed quando celebrari debet ad infirmum communicandum, vel scandalum vitandum. Alias si populus non scandalizaretur, melius esset non celebrare, quam mustum irreverenter adhibere.

VIRGO Vovens simpliciter Virginitatem, censetur vovere duo, nempe virginitatem, et castitatem: unde, licet postea se corrumpi patiatur, tenetur tamen servare reliquum caste vivendo, licet amplius non possit integrè *S. Thom.* 2. 2. *q.* 88. 3. *Navar. et alii.*

2. Virginitas amittitur pollutione voluntaria, etiam in causa, ut, cum quis nocturnam optat, aut procurat concubitu apto eam facere, vel alio modo voluntarie, etiamsi per accidens non sequatur. Quidam tamen dicunt sine pollutione non amitti. Ajunt et quidam, Foeminam recipientem semen, etiam sine signaculi fractione, virginitatem amittere.

Si aliqua virgo per vim corrumpatur, non amittit Virginitatem, nisi consentiat actui. Nec etiam Virginitatis meritum perdet, licet taliter oppressa concipiat. S. Thom, ib.

Recuperari potest per poenitentiam Virginitas mentis non autem Corporis. *S. Thom. Suppl. q. 96. 3.*

MANTISSA I.

SEU

Manuductio Casuum Arbitro apprime utilis pro obtinendis, et exequendis literis Sacrae Poenitentiariae.

1. Ad pedes Confessarii, quotiescumque se obtulerit Poenitens, qui indigeat dispensatione, sive Papae absolutione: curabit in primis eidem Poenitenti patefacere delicti gravitatem, eique insinuet, ut dum expectatur facultas opportuna a S. Poenitentiaria in oratione, et jejunio se disponat ad digne recipiendam absolutionem.

2. Si vero, occasione confessionis, cognoverit poenitentem indigere dispensatione, ut in matrimonio permaneat, et poenitens nesciat, eo casu, in bona fide eum relinquat, sed moneat solum, ut tempore congruo redeat, et interim necessariam dispensationem impetrabit

3. Sciat Confessarius, S. Poenitentiariam non posse, sive non solere concedere dispensationem ab impedimentis cujuscumque gradus consanguinitatis, et affinitatis provenientibus ex copula licita, et cognationis spiritualis, etiam si causa esset occulta: Super impedimenta autem affinitatis proveniente ex copula illicita, quae sit occulta, dispensat tam pro contracto, quam pro contrahendo, ac pariter impedimento superveniente ad effectum petendi debitum conjugale, a quo tamen etiam Episcopus potest dispensare. Quo vero ad impedimentum consanguinitatis occultum, et ortum ex copula illicita pro matrimoniis jam contractis dispensat, excepto primo, et secundo gradu; ulterius si super tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, obtenta fuit dispensatio Apostolica a Dataria, ejusque vigore Matrimonium contractum fuisset, et propter subreptionem, vel obreptionem, dispensatio non subsisteret, quatenus hoc sit occultum, a S. Poenitentiaria obtinetur dispensatio, seu potius revalidatio, dummodo non fuisset expressa in supplicatione copula, quae vere inter sponsos non intervenerat.

4. Quod si obtenta fuisset dispensatio Apostolica super aliquo gradu prohibito, reticita copula inter sponsos secuta, si sit occulta, et maxime, si dispensatio a Dataria sit expedita in forma pauperum: Sacra Poenitentiaria dispensat, tam pro contracto, quam pro contrahendo. Si vero est expedita in forma ordinaria, et agatur de impedimento primi, et secundi simul, vel secundi tantum; Sacra Poenitentiaria non dispensat, etiam si copula sit occulta, nisi facta compensatione cum Dataria.

5. Si Miserabiles personae in casu dispensationis a Dataria obtentae, tacuerint in supplicatione, copulam inter ipsos fuisse malitiose sequutam, animo facilius dispensationem obtinendi super hoc defectu a Sacra Poenitentiaria obtinetur dispensatio: e contra vero, si agatur de Personis Nobilibus, seu Civilibus, eo casu ad Datariam recurrendum est.

6. Coeterum eadem S. Poenitentiaria dispensat etiam super impedimento criminis, ex causa adulterii, si solum intervenerit fides, et promissio de contrahendo, *neutro machinante*, et in casibus occultis, et tam pro contrahendo, quam pro contracto, et aliquo gravi casu, etiam dispensat, *utroque, vel altero machinante*.

7. Absolvit pariter eadem S. Poenitentiaria a Censuris ex gravibus etiam delictis, etiam haeresis, si complices non adsint eademque delicta sint occulta, et dispensat ab irregularitatibus ex delictis occultis provenientibus, semper pro foro conscientiae tantum: Commutat et vota simplicis Religionis.

8. Ut autem Confessarius sciat, quomodo hujusmodi dispensationes possint obtineri, advertitur, quod extendendus est supplex libellus in forma Episolae, latino, sive vulgari idiomate, in quo distincte narretur factum cum omnibus necessariis circumstantiis, et praesertim, quod casus sit occultus, cum S. Poenitentiaria non dispenset, nisi in casibus occultis, pro foro conscientiae tantum, suppressis nominibus, et petitur dispensatio, seu absolutio, juxta casus contingentiam, et dirigitur Emo D. Card. Majori Poenitentiario Romano, prout hic per modum exempli notatur. - Intus

Eminentissime, et Rme Domine.

„ *N. Mulier emisit votum simplex castitatis, et manet in* „ *periculo incontinentiae, nisi nubat. Supplicat sibi votum* „ *commutari ad effectum contrahendi matrimonium*: vel

Eminentissime, et Rme Domine

„ *Vir contraxit Matrimonium cum N. quamvis prius il-* „ *lius sororem carnaliter cognoverit, et cognoverit ignorans* „ *impedimentum, quod adhuc est occultum, ideo supplicat* „ *conscientiae suae provideri, cum modo noverit impedi-* „ *mentum etc.*

9. Post supplicem libellum, ut possit haberi responsum, adjungatur. *Dignetur E. V. rescribere ad N.N.* scilicet exprimatur nomen, et cognomen, cui est rescribendum: *ad Civitatem N.* exprimendo nomen Civitatis, vel oppidi etc. A Tergo vero Epistolae obsignatae, in qua contineatur praedictus supplex libellus *Eminentissimo, et Rmo D. Card. Poenitentiario Majori Romano*.

Si responsio plus debito tardaverit; iterum scribere oportet, quia contingere potest, quod litera fuerit deperdita.

10. Postquam venerit responsio, de consensu Poenitentis aperienda est, quatenus idem Sacerdos eam exequi possit, et fuerit ab eodem poenitente electus, pro audienda ejus Sacramentali Confessione, quia aliquando Sacra Poenitentiaria dirigit Epistolam Decretorum Theologiae Doctori, ac proinde si talem qualitatem non haberet, deberet poenitens, literam praesentare Confessario, qui tali sit dignitate insignitus.

11. Aperta litera per Confessarium, examinabit diligenter: an vera sint exposita, et conditiones, sub quibus fuerit concessa dispensatio, sive absolutio, ut possit religiose conditiones omnes adimplere, et Poenitenti injungere, quae injungenda sunt. Dispensatio, sive absolutio non potest concedi, nisi in actu Sacramentalis Confessionis, quia, ut dictum est, non prodest nisi in foro conscientiae.

12. Dictum est, S. Poenitentiariam non absolvere, sive dispensare, nisi in casibus occultis: unde sciendum est re-

putari casum occultum, si non fuerit notorium, vel ad forum deductum, ita ut, etiamsi aliqui de eodem notitiam habuerint, nempe in Comitatu, duo, vel tres; in Castro quinque, vel sex; in Civitate septem, aut octo, adhuc casus reputaretur occultus, nisi ex circumstantiis resultaret, quod delictum occultum esset citò detegendum, et publicandum, nam tunc non posset concedi absolutio.

13. Obtenta vero, et executa dispensatione, si postea ex accidenti detegatur publicè impedimentum, tunc conjuges separandi essent, donec a Dataria obtineretur dispensatio: verum, si hoc tempore, citra scandalum, se cognoscerent, non peccarent, quia quoad forum internum sunt dispensati.

14. Quoad matrimonia contracta, quaeque nulla sunt ob aliquod dirimens impedimentum, si conjuges sunt illius conscii, et pro utroque est petita dispensatio, monendi sunt a Confessario, ut denuo private, ac secreto contrahent, praestando novum consensum. Quod si alter tantum sit ejusdem impedimenti conscius, et pro ea sit petita dispensatio, debet ille moneri, ut alterum conjugem de nullitate Matrimonii informet, sed ita caute, ut delictum non pandatur.

15. In hoc maxime versari debet Confessarii prudentia, nempe in insinuando poenitenti modum, quo se gerere debeat cum altero conjuge ad effectum obtinendi novum consensum, sine manifestatione, aut suspicione delicti, pro revalidatione Matrimonii omnino necessarium, licet satis sit, ut praestetur per conjuges private inter eos; unde circumstantias personarum considerabit, et lumen a Deo implorabit, ut rectum consilium, quo scandalorum pericula submoveantur, subministret, cum certa regula universaliter dari non possit.

Ut autem intelligantur abbreviaturae literarum S. Poenitentiariae, hic adnectuntur pro majori Confessariorum comoditate.

Archiepus	*Significat*	Archiepiscopus
Alr		Aliter
Als		Alias
Absoltio		Absolutio
Aplica		Apostolica
Aphatis		Approbatis
Aurte		Auctoritate
Cardis		Cardinalis
Canice		Canonice
Cen.		Censuris
Circumpeoni		Circumspectioni
Xpus		Christus
Confeone		Confessione
Confeori		Donfessori
Coone		Communione
Consciae		Conscientiae
Constituonibus		Constitutionibus
Discreni		Discretioni
Dispensao		Dispensatio
Dnus		Dominus
Ecclae		Ecclesiae
Effus		Effectus
Epus		Episcopus
Excoe		Excommunicatione
Fr.		Frater
Frum		Fratrum
Gnli		Generali
Humoi		Hujusmodi
Humir		Humiliter
Infraptum		Infrascriptum
Irregulte		Irregularitate
Igr		Igitur
Intropta		Introscripta
Lia		Licentia
Ltima		Legitima
Lrae		Literae

Lite	*Significat*	Licite
Mrimonium		Matrimonium
Magro		Magistro
Miraoe		Miseratione
Mir		Misericorditer
Nulltus		Nullatenus
Ordio		Ordinatio
Ordinaoni		Ordinationi
Pp.		Papa
Pr		Pater
Pontus		Pontificatus
Ptus		Praedictus
Ptur		Praedicitur
Pntium		Praesentium
Pbter		Presbyter
Pricida		Presbytericida
Poenia		Poenitentia
Poe		Posse
Pror		Procurator
Qtnus		Quatenus
Qd		Quod
Relari		Regulari
Relione		Religione
Rona		Romana
Stae		Sanctae
Saluri		Salutari
Sentia		Sententia
Spalr		Specialiter
Suplionibus		Supplicationibus
Spualibus		Spiritualibus
Tn		Tamen
Tm		Tantum
Thia Tholia		Theologia
Tli		Tituli
Venabli		Venerabili
Vra		Vestra

16. Veniendo ad modum impertiendi vigore literarum S. Poenitentiariae, Absolutiones, vel Dispensationes Apost: notabuntur hic aliqui casus, qui pro caeteris poterunt inservire.

17. In primis confessarius in executione Literarum super commutatione alicujus voti, examinet; an vere subsistat causa expressa? interrogando diligenter Poenitentem; et cum compererit causam narratam esse veram audiat confessionem ipsius Poenitentis, et si agatur de voto simplici Religionis transgresso ob contractum Matrimonium, Poenitentem moneat, quod, mortuo conjuge, tenebitur ad voti implementum, et Poenitentiam salutarem imponat, quae, quantum fieri potest, congruens erit actibus ipsius poenitentis, et Religionis, levis tamen, sed perpetua, imposita etiam poenitentia pro caeteris peccatis in confessione narratis, absolutionem in forma consueta impertietur, eaque finita, subjungat. „ *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, te, non obstante voto Religionis, quod alias emisisti, in matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere et reddere posse declaro. In Nomine Patris* etc. Si votum sit castitatis varietur formula dicendo: *Non obstante voto Castitatis.* Poenitentia vero injungatur, ut, quantum fieri potest, voto correspondeat, tam in hoc, quam in coeteris commutationibus, aut dispensationibus votorum. Quotiescumque vero agatur de voto castitatis, sive Religionis transgresso propter Matrimonium contractum, monendus erit poenitens, quod, mortuo conjuge, tenebitur servare votum, eum dispenratio solum prosit, ut licite remaneat in praesenti matrimonio. Si denique votum, fuerit votum simplex Castitatis, sive Religionis, et vovens propter carnis stimulos, contineri non valeat, imposita poenitentia, ut supra, adhibeatur formula sequens „ *Item Apostolica auctoritate etc. tibi votum Religionis, sive castitatis, quod emisisti, in opera pietatis, quae tibi praescripsi ad effectum licite contrahendi Matrimonium dispensando, commuto. In nomine Patris* etc.

18. Progrediendo ad modum exequendi literas S. Poenitentiariae in Matrimonialibus, primum curare debet Confessarius; ut, quatenus adsit, removeatur occasio peccandi: secundo vero, ut imponat poenitentiam, pensatis qualitatibus aetatis, sanitatis, aliisque Poenitentis circumstantiis, quae poenitentia non sit quotidiana, neque perpetua, sed ad tempus determinatum, nempe Jejunii, disciplinae, eleemosynae, precum, et orationum, juxta suum prudens arbitrium in uno, vel duobus diebus, unius, seu etiam plurium hebdomadarum. Et si agatur de Matrimonio contracto, monere debet poenitentem, ne petat debitum, nisi prius revalidatum fuerit cum novo consensu alterius conjugis, secrete tamen inter eos, ut supra dictum est. Et quidem, quod hic expressi de monendo poenitente, ne petat debitum: intelligendum est, cum dispensatio obtenta est, et executioni jam demandata. Ceterum, quando Confessarius cognoscit in poenitente conjugato impedimentum occultum dirimens Matrimonium, non expedit illum tunc monere, ut abstineat a petendo debitum, donec obtenta sit dispensatio, cum enim difficile hoc possit obtineri, praesertim cum impedimentum provenit, non ab utroque, sed ab alterutro conjuge, tunc satis esse credendum est, illum relinquere in sua bona fide, et solum illi injungere, ut revertatur post tantum temporis spatium, quantum judicabitur necessarium, ad obtinendam dispensationem, quae interim procurabitur a S. Poenitentiaria.

19. Formulae autem, quibus in dispensationibus ab impedimentis matrimonii uti solent, pro diversitate casuum, sunt sequentes, impertiendae in actu Sacramentalis Confessionis, postquam pronunciata fuit absolutio a peccatis.

20. Pro eo, qui cognovit carnaliter sororem ejus, quam vult ducere in uxorem „ *Item auctoritate etc. Dispenso tecum, super impedimento ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis. ut, praefato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere, servata forma S. Concilii Trid., contrahere, consummare et in eo remanere licite possis, et valeas*

„ *In nomine Patris etc. Insupèr eadem auctoritate, pro-*
„ *lem, quam ex dicto Matrimonio susceperis, legitimam fore*
„ *pronuncio, et declaro. In nomine etc.*

21. Pro eo, qui contraxit cum ea, cujus sororem carnaliter cognoverat, quo casu necessaria est etiam absolutio a censuris latis contra incestuosos. „ *Misereatur tui etc. Indulgen-*
„ *tiam etc. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et*
„ *ego auctoritate ipsius absolvo te, ab omni vinculo ex-*
„ *communicationis, et interdicti, nec non ab omnibus sen-*
„ *tentiis, censuris, et poenis, sive jure communi, sive*
„ *speciali, quomodocumque contra incestuosos latis, quas*
„ *incurristi, deinde absolvo te a peccatis tuis. In nomi-*
„ *ne Patris etc.*

„ *Item auctoritate Apostolica dispenso tecum super im-*
„ *pedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita,*
„ *quam cum sorore tuae putatae conjugis habuisti, ut, il-*
„ *lo non obstante, renovato prius consensu cum prae-*
„ *dicta tua conjuge, matrimonium cum illa contrahere,*
„ *consummare, et in eo permanere valeas. In nomine Pa-*
„ *tris etc.*

„ *Et pariter eadem auctoritate prolem, quam suscepi-*
„ *sti, et quam susceperis, legitimam fore decerno et de-*
„ *claro. In nomine Patris etc. Passio Domini nostri Je-*
„ *su Christi etc.*

22. Pro eo, qui cognovit consanguineam, sive affinem intra quartum gradum, et obtinuit Dispensationem a Dataria super impedimento consanguinitatis, sive affinitatis, reticita copula. Post absolutionem a censuris, et peccatis, ut supra. „ *Insuper auctoritate etc. dispenso tecum super im-*
„ *pedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consan-*
„ *guinea* (vel affine) *habuisti, ut, praefato impedimento non*
„ *obstante, matrimonium cum illa, ad formam litterarum di-*
„ *spensationis, quam a Sede Apostolica obtinuisti, contrahere*
„ *licite possis, et valeas. In Nomine Patris etc.*

„ *Et pariter eadem auctoritate, prolem, siquam susce-*
„ *pisti, ac susceperis legitimam fore decerno. In Nomine*
„ *Patris etc.*

23. Pro iis, qui praecedente adulterio, et data fide, contrahere volunt inter se Matrimonium. Praemissa absolutione in forma solita, dicatur „ *Insuper auctoritate Apostolica mihi*
„ *specialiter delegata, tecum dispenso super impedimento*
„ *criminis ex adulterio, et fide data perveniente, et il-*
„ *lo non obstante, matrimonium cum muliere complice, ser-*
„ *vata forma Sacri Conc. Trid. contrahere, et consumma-*
„ *re licite possis, et valeas, In Nomine Patris etc.*

„ *Insuper eadem auctoritate prolem susceptam, non ta-*
„ *men ex adulterio, et suscipiendam legitimam esse decla-*
„ *ro. In Nomine Patris etc.*

24. Praedictae formulae, mutatis mutandis, deserviunt pro exequendis dispensationibus in aliis impedimentis matrimonialibus.

25. Ad sacram Poenitentiariam recurritur quoque pro absolutione a Censuris, et dispensationibus super irregularitate, pro rehabilitatione, et condonatione fructuum male perceptorum a Beneficiis, tam si beneficiatus Horas Canonicas omiserit, quam si fuerit intrusus, aut Simoniacus (*dummodo semper casus fuerit occultus.*) In exequendis tamen hisce literis, multam adhibere debet curam Confessarius, inquirendo super veritate causae expressae Sacrae Poenitentiariae, ac caeteris conditionibus in ejusdem literis contentis, ne actum irritum faciat, cum propria, et Poenitentis animae jactura. Formula autem adhibenda pro absolutione a Censuris est.

„ *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego au-*
„ *ctoritate ipsius, auctoritate Apostolica mihi specialiter*
„ *delegata, absolvo te in primis ab excommunicationis sen-*
„ *tentia, quam incurristi ob manus violentas in Clericum,*
„ *sive etc. et ab omni vinculo excommunicationis, et in-*
„ *terdicti, in quantum possum, et tu indiges. etc.*

26. Formula adhibenda pro absolutione ab Irregularitate, post absolutionem a Censuris, et peccatis est „ *Et pariter* „ *eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irre-* „ *gularitate, quam ex homicidio contraxisti, ut, illa non* „ *obstante, clericali charactere, insigniri, ac Ordines etiam* „ *Sacros, et Presbyteratum suscipere, et postquam susce-* „ *peris, in illis, etiam in Altaris Ministerio ministrare li-* „ *cite possis, et valeas. In Nomine Patris etc.*, (quod si poenitens sit jam promotus ad Ordines, dicatur) *ut, illa non* „ *obstante, in Sacris Ordinibus, etiam in Altaris Mini-* „ *sterio, ministrare possis, et valeas. In Nomine etc.*

27. Formula pro absolutione Simoniaci, cum rehabilitatione ad beneficia „ *Dominus noster Jesus Christus etc. et* „ *ego auctoritate ipsius, et auctoritate Apostolica mihi spe-* „ *cialiter delegata, absolvo te in primis a quibusvis sen-* „ *tentiis, et poenis Ecclesiasticis, quas propter Simoniam* „ *incurristi, et eadem auctoritate absolvo te a peccatis tuis, In* „ *Nomine etc.*

„ *Et insuper, eadem auctoritate Apostolica, tecum dis-* „ *penso super irregularitate, quam ex Simonia, et ex* „ *violatione postea contraxisti, ut, illa non obstante, in tuis* „ *Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare, ac* „ *Beneficia, si quae alias tibi Canonice conferentur, non* „ *tamen beneficium, quod Simoniace obtinuisti, et dimisi-* „ *sti, recipere, et retinere licite possis, et valeas. In No-* „ *mine Patris etc.*

28. Formula pro condonatione fructuum male perceptorum, ob non recitatas horas Canonicas, quae concedi debet regulariter, imposita poenitentia eleemosynae, a Confessario, juxta qualitatem poenitentis, taxandae, et faciendae, vel pauperibus, vel Ecclesiae, vel Cappellae Beneficii: Post absolutionem a censuris, et peccatis.

„ *Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter de-* „ *legata fructus, quos ex tuo beneficio, male percepisti,* „ *ob non recitatas Horas Canonicas, mediante eleemosy-*

„ *na tibi imposita gratiose tibi remitto, et condono. In*
„ *Nomine Patris etc.*

29. Hae formulae, mutatis mutandis, deservire possunt pro aliis casibus absolutionum, et dispensationum. Advertendum tamen est, quod, sequuta executione litterarum, seu Rescriptorum Sacrae Poenitentiariae, debent quam primum lacerari, comburi, disperdi, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae.

30. Pro Confessarii commoditate adnecto modum absolvendi, juxta *Rit*: *Rom*: Pauli V. jussu editum.

Cum Poenitentem absolvere voluerit, Sacerdos, injuncta poenitentia, dicat.

„ *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis*
„ *tuis, perducat te ad vitam aeternam Amen.*

Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicat.

„ *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (quae vox suspensionis pro Laicis omittitur), et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis. In Nomine Patris etc.*

„ *Passio Domini* nostri Jesu *Christi*; *Merita Beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, et quid boni egeris, et mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et proemium vitae aeternae Amen. Vade in pace, et noli amplius peccare* „

Urgente gravi causa, caeteris ommissis, Confessarius dicat.

„ *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis. In Nomine Patris etc.*

Benedictio in articulo Mortis.

Benedictus XIV. an. 1747. facultatem concessit Episcopis eorumque delegatis, Indulgentiam Plenariam aegrotis petentibus impertiri, acceptis prius Sacramentis Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis, aut verosimiliter quaesi-

sent, aut si signum aliquod doloris dederint, et postea sensibus fuerint destituti: Non vero excommunicatis, et impenitentibus, neque illis, qui in evidenti peccato moriuntur.

Cum autem hujus benedictionis modus non tam facile obvius sit, pro Theologi Confessarii comodo hic ponitur.

Sacerdos Aegroti domum ingrediens, dicat. *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea*, et aspergat aqua benedicta, dicens. *Asperges me, Domine, hyssopo. et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* *Gloria Patri, etc.* et nihil aliud dicens, repetit: *Asperges me* etc.

Si aegrotus confessionem petit, Sacerdos benigne audiat, sin vero, studeat, ut aegrotus contritionis actus eliciat, eumque confortet, in spe aeternae gloriae acquirendae. Hortetur, ut totum se Deo offerat, et pro peccatorum suorum, satisfactione, id, quod Deo placet, ipsamque mortem acceptet. Quo facto, dicat.

V. Adiutorium nostrum in Nomine Domini

R. Qui fecit Coelum, et Terram

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta famuli, *vel* famulae tuae, neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison: Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

Et ne nos inducas in tentationem

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum *vel* Ancillam tuam Domine

R. Deus meus sperantem in Te

V. Domine exaudi orationem meam

R. Et clamor meus ad Te veniat

V. Dominus vobiscum

R. Et cum Spirito tuo

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater Misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te sperantem,

atque credentem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum, *vel* famulam tuam N., quam tibi vera fides, et spes christiana commendat. Visita eum, *vel* eam in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem, et mortem omnium ei delictorum suorum veniam, et remissionem clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui Te Judicem propitium inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur aeternam. Per eumdem Dominum etc.

Tunc postquam dixerit Clericus. *Confiteor Deo etc.* Sacerdos dicat. Misereatur etc. Indulgentiam etc. postea subjungat.

Dominus noster Jesus Christus filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti, et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris etc.

Per Sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi Omnipotens Deus, omnes praesentis, et futurae vitae poenas. Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus Amen.

De Absolutione ab Excommunicatione.

Si certum sit aliquem incurrisse excommunicationem, et absolutionem debita pietate postulet. Si confessarius absolvendi potestatem habeat, eum, forma a Jure praescripta absolvat, his servatis.

Primo, ut in magnis saltem criminibus excommunicationis, juret parere mandatis Ecclesiae super eo, de quo est excommunicatus.

Deinde, ut pro offensa, aut damno parti satisfaciat, si, et quatenus, satisfacere tenetur, et si non potest in praesenti, promittat, et caveat, cautione saltem juratoria.

Postremo eum absolvat, cujus absolutionis, quamvis non sint determinata verba, hac tamen infra descripta formula, et ratione utetur.

Sed ad mulierem absolvendam, numquam humeros nudare jubebit, neque absolvens verberabit.

Neque etiam virum secreto confitentem, si sit in praesentia alterius. Si vero in occulto sit, aut forte absolutio danda sit in foro exteriori, omnia servabuntur.

Poenitens igitur utroque genu flexo, et manibus simul junctis, humerisque paululum nudatis, virga, aut funiculis percutit dicendo Psalmum Miserere cum Gloria, aut alium ex Poenitentialibus.

Deinde dicit Kyrie eleison · Christe eleison: Kyrie eleison Pater noster *secreto*

V. Et ne nos inducas in tentationem
R. Sed libera nos a malo
V. Salvum fac servum tuum, Domine
R. Deus meus sperantem in Te.
V. Nihil proficiat inimicus in eo
R. Et filius iniquitatis non apponet nocere ei.
V. Esto ei Domine Turris fortitudinis
R. A facie iuimici
V. Domine exaudi orationem meam
R. Et clamor meus ad te veniat
V. Dominus vobiscum
R. Kt cum Spiritu tuo

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis catena constrinxit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.

In qua oratione mutandum est genus, prout quis mas est, vel foemina quibus peractis, eum absolvit hac formula.

„ Ego absolvo te a vinculo excommunicationis, et resti-
„ tuo communioni fidelium. In Nomine Patris etc.

Si quando committatur Confessario absolutio suspensionis, vel interdicti, quamvis nulla sint verba constituta, hac formula utetur.

„ Ego absolvo te a vinculo suspensionis, et interdicti. In Nomine Patris etc.

MANTISSA II.

In qua compendiose, et quasi historice refertur quid actum sit in Conciliis generalibus, a Concilio Apostolorum, usque ad Tridentinam Synodum inclusive. Inde varii errores referuntur circa Sacramenta, simulque ex Instructione Eugenii IV. ad Armenos, explicatur, quid de iisdem sit necessario sentiendum? et tandem reportantur Propositiones damnatae a Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI., Alexandro VIII. nec non 85. propositiones Synodi Pistojensis damnatae a Pio VI.

1. Quae baptizato cuilibet per se primo revelantur, et per Ecclesiam, tanquam per infallibilem regulam proponuntur, sunt primo ipsa Dei veracitas, et ipsa Ecclesiae infallibilitas: deinde Deus unus in essentia, et Trinus in personis; inde Verbum Incarnatum, qui est Christus Jesus, verus Deus, et verus Homo, habens unam Personam eamque Divinam, et duas naturas alteram Divinam, alteram humanam, qui, quatenus Homo visibilibus imaginibus representari potest; quae omnia septem prioribus Conciliis generalibus exposita inveniuntur. Et quidem.

2. Post propositam in Symbolo Apostolorum generalem quamdam credendorum notionem, statuenda erat infallibilitas Ecclesiae, quae custodit revelationem, eamque fidelibus proponit, ut ait S. Augustinus, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae commoveret auctoritas*. Haec autem Ecclesiae infallibilitas declarata fuit in Concilio Apostolorum, quod habetur Actor. 25. ubi Apostoli audenter pronunciant. *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, innixi hoc Christi promisso: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum*. Matth. 19. confisi hac Christi voce: *Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, et suggeret omnia quaecumque dixero vobis*. Sicut autem haec decisio est quasi praeambula ad omnes decisiones,

et quasi illarum basis, ita fuit determinanda in Concilio Apostolorum, quod futurum erat veluti typus, et causa exemplaris omnium aliorum Conciliorum.

3. Statuta Ecclesiae infallibilitate, explicandum erat objectum primarium fidei nostrae, quod non est aliud, nisi Deus ipse, unus in essentia, et Trinus in Personis: et hoc fit, in Concilio Niceno, in cujus Symbolo declaratur, quod Deus sit unus, et non multiplex, ut volebant Politheistae: quod sit trinus in personis, et non unus, ut volebant Gabelliani: quod sit factor visibilium, et invisibilium, quod negabant Manichei. Et quia Christus erat auctor religionis Christianae, et in nomine Christi omnia fiebant in Ecclesia, statuendum erat, an esset vere Deus, vel solus Homo Divinus, ut volebat Arrius: ideo Divinitas Christi stabilita est his verbis: *Credo in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei natum ex Patre unigenitum hoc est ex substantia Patris. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum*, homousion, *hoc est, consubstantialem Patri*.

4. Post indicatam Divinae Essentiae unitatem, et Trinitatem Personarum, post stabilitam Divinitatem Christi, qui est fundator Ecclesiae, statuenda erat expressius Divinitas Spiritus Sancti, qui est inspirator ejusdem Ecclesiae: quod quidem factum est in Concilio Constantinopolitano. I. his verbis. *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, et Filio adorandum, et glorificandum*.

5. Post statutam divinitatem Filii, et Sipiritus Sancti et explicatum Mysterium Trinitatis, quod est objectum primarium nostrae fidei, explicandum erat mysterium Incarnationis, utpote propinquius, objecto primario fidei nostrae, et in quo dignitas Fundatoris Reipublicae Christianae maxime elucebat, et hoc factum est in Concilio Ephesino tertio generali, in quo definitum fuit contra Nestorium; unicam esse in Christo personam, eamque Divinam, scilicet personam Verbi in duabus naturis, hamana scilicet, et divina.

Statuti sunt duodecim anathematismi Cirilli, qui omnes eo tendunt, ut probent Christum subsistere per suppositum Divinum. Haec definiunt. „ Emmanuel verus est Deus, et Vir-
„ go est Deipara. 2. Verbum Dei secundum hypostasim est
„ carni unitum. 3. Unio Divinitatis in Christo est secun-
„ dum naturalem unionem, non secundum dignitatem aut
„ auctoritatem tantum. 4. Dicta de Christo in Scripturis non
„ possunt tribui duabus personis. 5. Christus est verus Deus
„ et non tantum Deifer. 6. Verbum est unus, idemque Deus
„ et Homo. 7. Christus non est alter a Verbo. 8. Homo as-
„ sumptus, non est tamquam alter adorandus cum Deo,
„ sed una, et eadem adoratione honorandus. 9. Christus non
„ est a Spiritu Sancto, tamquam a virtute aliena glorifica-
„ tus. 10. Christus pro nobis solis, non pro se ipso sacri-
„ ficium obtulit, quippe qui nullum peccatum commisit.
„ 11. Caro Christi est vivifica, ipsique Verbo propria.
„ 12. Verbum secundum carnem est passum, seque, ut Deus
„ vivificavit.

6. Stabilita unica persona in Cristo, et quidem divina, supererat exponendum, qua ratione in Cristo convenirent duae naturae, divinae scilicet; et humana; an distinctae, an confusae, an ex duabus Naturis una coalesceret, sicut ex duobus liquoribus fit tertius liquor; an salva reali naturae humanae, et Divinae in Christo distinctione, in una persona Verbi, in Christo vere inveniretur natura divina, et humana. Hoc postremum definitum est in Concilio Chalcedonensi, ubi haec habentur. „ Eos denique, qui duas ante unio-
„ nem Domini naturas profitentur, unam autem post unio-
„ nem faciunt, anathemati subjicit .... Jesum praedicamus
„ Deum verum, et hominem verum, eumdem ex rationa-
„ bili anima et corpore, consubstantialem Patri secundum
„ Divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanita-
„ tem, per omnia nobis aequalem, absque peccato.

7. Ex his duobus Conciliis orta est nova difficultas, quae non ad rem fidei, sed ad factum pertinet, ceu, quid sentiendum de his auctoribus, et scrptis, quibus Nestorio fave-

batur. Hi auctores erant Ibas Episcopus Edessenus; Theodoretus Episcopus Tyri, Theodorus Mopsultenus. Scripta vero erant, Epistola Ibae; scripta Theodoreti. Tria haec capitula, scilicet. 1. Epistola Ibae. 2. Scripta Theodoreti, 3. Persona Theodori, licet jam mortui, damnantur in Concilio Constantinopolitano II. Gen. quinto. Haec Capitula adversus Origenem edita sunt. 1. Animae hominum non praeextiterunt, nec in corpora, supplicii causa, dimissae. 2. Anima Christi prius non extitit, nec ante Incarnationem. Deo Verbo unita fuit. 3. Corpus Christi Domini prius formatum non fuit, nec postea Verbum, et Anima adunata. 4. Verbum omnibus coelestibus Ordinibus non est assimiliatum. 5. Homines recti non orbiculari specie suscitabuntur. 6. Sol, Luna, Stella, et aquae, quae super coelos sunt, non sunt animatae virtutes. 7. Christus in futuro saeculo, nec pro daemonibus, nec pro hominibus crucifigetur. 8. Finita non est Dei potestas, nec tanta fecit, quanta comprehendere potuit. 9. Supplicium daemonum, et impiorum hominum finem non habebit. Anathema Origeni, ejusque nefariis sectatoribus.

Insuper haec Capitula contra Nestorium, et Eutychianos. 1. Trium personarum una est natura, una virtus, ac potestas, Trinitas consubstantialis, una Deitas in tribus Personis adoranda. 2. Duae sunt Verbi Dei nativitates, una sine tempore, altera in tempore. 3. Idem Deus Verbum, qui miracula fecit, et qui passus est: Deus Verbum est, unus idemque D. J. Christus, Dei Verbum incarnatum, et homo factum. 4. Unio Dei Verbi ad carnem animatam secundum compositionem, sive secundum subsistentiam facta est, et ideo non est subsistentia composita, qui est unus de Sancta Trinitate. 5. Non sunt in mysterio Christi duae subsistentiae, seu personae introducendae 6. Gloriosa Virgo Maria est vere Dei genitrix, ideo Deipara, vel Christipara nuncupanda. 7. Dualitas in Christo naturarum, sed unitas personae. 8. Idem. 9. Duae adorationes, una Deo Verbo, altera homini non sunt introducendae, nec una adoratio Deitati et humanitati confusis, sed Deo Verbo debetur.

8. Statuto uno supposito in Christo, et admissis duabus naturis realiter distinctis, supererat difficultas non modica, scilicet, utrum esset unica operatio in Christo, sicuti unum suppositum: *quia actiones sunt suppositorum*, vel utrum in Christo essent duae operationes, duo intellectus, duae voluntates sicuti duae erant naturae? definitum est in Concilio Constantinopolitano tertio, generali sexto contra Monothelitas, duos esse in Christo intellectus, duas voluntates, duas operationes sicuti duae erant naturae, scilicet divina, et humane, ideoque haec eduntur capitula. „ 1. Concilium Chalce„ donense confirmatur. 2. Epistola Leonis ad Flavianum, et „ Epistola Cyrilli adversus Nestorium, et ad Orientales re„ cipiuntur. Item quinque antecedentia Concilia. 3. Christus „ verus Deus, et verus homo declaratur. 4. Virgo vera Dei „ genitrix agnoscitur. 5. In Christo unica persona, et duplex „ natura definitur. 6. Demum in Christo duae voluntates non „ sibi contrariae admittendae. Non est alia fides tradenda.

9. Statim nova insurrexit difficultas, utrum ipsae Imagines saltem Christi, sicut, et aliorum Sanctorum, colendae forent? immo utrum etiam possent imagines, vel Dei, vel Angelorum efformari, et coli. Ad hoc ergo determinandum congregatur septima Synodus, secunda Nicena, ubi statuitur, juxta Sanctorum Patrum magisterium, atque Ecclesiae Catholicae traditionem, figuram Crucis, Sanctas imagines Christi, Virginis, et Sanctorum Angelorum, in Ecclesiis, aliisque locis proponendas, eisque non latriam, sed honorariam adorationem impertiendum, traditionesque Ecclesiae factas maximi esse habendas.

10. Vidimus hucusque, quid circa Trinitatem, Incarnationem, Imagines Christi, et Sanctorum definierint septem Concilia Generalia in Ecclesia Graeca habita; prestat nunc videre quid posteriora definierint, quae singula excepto Constantinopolitano generali octavo, celebrata sunt in Ecclesia Latina.

11. Christus venit ut Rex, ut Redemptor, ut Judex. Quatenus Rex, Rempublicam instituit, Ecclesiam scilicet, cujus Regimen spirituale est, et a potentia Saeculi poenitus inde-

pendens. Quatenus Redemptor, gratia sua, suisque Sacramentis inductam per peccatum Adami stragem reparat. Quatenus Judex, bonis aeternam mercedem, malis vero aeternum praeparat supplicium. Quotquot ergo exortae sunt haereses contra Ecclesiae Regimen. contra gratiam et Sacramenta, contra futurum tum salvandorum, tum damnandorum statum, eae omnes examinatae sunt ex professo in Conciliis Generalibus habitis a Concilio Gen: octavo, usque ad Concilium Trid. inclusive, ut breviter ex dicendis patebit. Quod si quaestiones illae in prioribus Conciliis agitatae sunt, id Divine Consilio est factum, ut difficultates illae longius discussae, et frequentius examinatae solidius resolverentur. Nunc.

12. *De Ecclesiastica Hierarchia*. Post statutum in septem prioribus Conciliis Mysterium Trinitatis, et Incarnationis per posteriora Concilia statuenda erat doctrina Ecclesiasticae Hierarchiae, quandoquidem Christus fundator est Ecclesiae. Et primo quidem stabiliendum erat, an Ecclesiastica Hierarchia spiritualis esset, vel secularis, an ejus regimen a Christo fundatore deflueret, an a Regia emanaret potestate, et hoc decernitur in Concilio IV. Constantinop. et VIII. Generali in quo Photius constitutus Patriarcha per Imperatorem secularem, ob id solum intrusus declaratur, et Ignatius canonice electus, et injuste ejectus, tamen pro vero Patriarcha habetur. *Anathematizamus Photium*, inquit Synodus, *propter nequissimam invasionem Ecclesiae Constantinop. cum aliis malis operibus suis*. Cui decisioni aquiescere renuit Photius, sed post obitum Ignatii, rursus artibus Sanctabareni, et favore Basilii per Pseudo-Synodum revocatur in vacuam sedem Constantinopolitanam an. 876. et inchoatum est Schisma Photianum, quod Graeci deinde tuiti sunt, quodque adhuc perseverat.

13. Statuto, quod Princeps saecularis in electionibus, promotionibus, ordinationibus Praelatorum Ecclesiasticorum nullam haberet auctoritatem spiritualem, sed solum inspectionem, qua providerentur electiones, promotiones, et ordina-

tiones, juxta Sacros Canones fieri: inquirendum supererat, quid juris haberent saeculares Principes circa Beneficia v. g. circa Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Canonicatus etc. Henricus V. Imperator, aliique Principes Saeculares jus beneficia conferendi usurpabant, et dabant investituram. Contra hanc usurpationem congregatum fuit Concilium I. Lateranense, et inita est pax inter Calistum II., et Henricum V., et hic est tenor pacis initae. *Ego Enricus .... Dimitto Deo, et Sanctis ejus Apostolis Petro, et Paulo Sanctae Catholicae Ecclesiae omnem investituram per annullum et baculum, et concedo in omnibus Ecclesis fieri electionem, et liberam consecrationem ... quae obl ta sunt, et quae habeo, restituo, quae autem non habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Ego Callistus .... Tibi concedo, quae ad Regnum tuum pertinent, in praesentia tua fieri absque simonia, et aliqua violentia, ut si quae inter partes discordia emerserit, Metropolitani, et Provincialium consilio, vel judicio, seniori parti assensum, et auxilium praebeat, electus autem per sceptrum, a te recipiat regalia.*

14. Statuto, quod penes Ecclesiam sola esset potestas eligendi, ordinandi, consecrandi Pastores, et potestas conferendi beneficia, examinandum supererat, quae electio esset canonica, quae vero non: ideo permittit Deus oriri schisma in Ecclesia Latina, cujus occasione haec materia discutitur. mortuo Callixto II. Cardinales in duas partes scinduntur. Saniores, et numero plures, eligunt Gregorium S. Angeli Cardinalem Diaconum dictum postea Innocentium II., alii vero pauciores eligunt Petrum Filium Leonis civis Romani potentissimi, dictum postea Anacletum II. Ecclesia suscipit Innocentium, tamquam Pontificem legitimum, *et quidem merito ait B. Bernard. Epist.* 125. *illum recipit Ecclesia, cujus opinio clarior, et electio sanior inventa est, nimirum eligentium numero vincens, et merito*. Anacletus II. utpote Filius civis Romani potentissimi, Basilicam S. Petri, et alias Romae invadit Ecclesias: Innocentius II. se recipit in Galliam adiutus auctoritate Ludovici VI., et Lotarii Imperatoris. Mortuo Anacleto, Victor in ejus locum suffectus,

consentit Innocentii II. electioni, et sic schisma supitur, et Innocentius in Concilio Lateran: II. verus Papa declaratur, et ea electio canonica habetur, quae vincit aliam numoro, et merito.

15. Statuto, quod illa electio canonica esset habenda, quae a majori, et saniori parte facta esset, adhuc videndum erat num auctoritatem aliquam habeat, qui a pauciori numero electus fuisset, et quid opus facto, si hunc prae alio Imperatores Saeculares pro vero Pastore habendum proponerent? Ideo permittit Deus novum oriri schisma in Ecclesia Latina, cujus occasione haec materia exactius discuteretur. Itaque Adriano IV defuncto, congregantur Cardinales. Contingit, quod unus supra viginti elegerunt Rolandum, dictum postea Alexandrum III. et tres elegerunt Octavianum, dictum postea Victorem IV. Galli, Hispani, Britanni Alexandrum III. tamquam verum habent Papam. Fridericus Imperator vult Victorem tamqnam legitimum habendum. Imperator licet Saecularis mandat celebrari Concilinm Papiae, et citat Alexandrum, qui respondet se venerari Imperatorem, tamqnam defensorem, et Advocatum; sed, se nullam in eo auctoritatem spiritualem agnoscere. Conciliabulum Papiae declarat Victorem legitimum Papam, et Alexandrum excommunicat, qui se recipit in Galliam et Turone congregat Concilium; in quo Antipapa Victor excommunicatur. Moritur Victor, et ejus loco Calistus eligitur: sed paulo post cum Federico tamqnam verum Papam Alexandrum 3. agnoscit. Hic congregat Concilinm Lateran. III, in quo ad futura deinceps schismata vitanda, determinatur nullum deinceps habendum esse Papem legitimum, qui non esset a duabus tertiis partibus Cardinalium electus.

16. Extincto illo Schismate, celebratur Concilium Later. IV. pro recuperanda Terra sancta. Postea congregatur Concilium Lugdun. I. pro dirimendis contraversiis inter Innocentium IV. Et Fridericum II. Deinde congregatur Concilium Lugdun: II. Pro statuenda Greco-Latinae Ecclesiae unione. Fuit insuper congregatum Concilium Viennense pro extinctio-

ne Templariorum, pro recuperanda Terra Sancta, et pro exterminandis erroribus Beguardorum, et Beguinarum: quae omnia inserviunt ad firmiorem Ecclesiae statum constituendum.

17. Praescripto modo, quo eligendus esset Summus Pontifex, et statuto, quod ille, qui a minore parte esset electus, etiamsi imperatoria potestate munitus, pro illegitimo Papa habendus esset; difficultas oriri poterat, quid agendum, si si duo eligerentur, et uterque haberet, vel aequalia suffragia, vel aequalia rationum momenta, quibus juste dubitaretur, uter esset verus Papa? Ideo, permittente, Deo nascitur novum schisma inter Gregorium XII. et Benedictum XIII. Ambo de Papatu contendunt, et cum neuter pro bono pacis dignitatem Papalem abdicare vellet, Pisis congregatur Concilium, et uterque post trinam monitionem excommunicatur, et Alexander V. eligitur: quo defuncto, eligitur. Joannes XXIII. et fiunt tres contendentes, et oritur schisma non duorum, sed trium, qui jus ad Papatum contendunt habere. Cui malo, ut remedium afferat Joannes XXIII. congregat concilium Constantiense, pollicitus se libenter cessurum, si bonum pacis id exigeret, interim noctu ex Concilii loco egreditur: citatur, et alii pariter citantur: qui cum nollent obedire, deponuntur, et Martinus eligitur, et ad medendum schismati concilium istud definit. „ Ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata, legitime generale Concilium faciens, Ecclesiam „ Catholicam militantem repraesentans, potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet cujuscumque status, vel „ conditionis, etsi Papalis exitat, obedire teneatur in his, „ quae pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite, „ et in membris „ Et ut efficacius futuri schismatis tolleretur occasio, statutum est, ut post quinquennium celebraretur Synodus universalis prima, postea vero altera celebraretur post septennium, et tandem quolibet decennio generale Concilium haberetur. Martinus V. declaravit Concilium proxime futurum, Papiae celebrandum esse, sed cum ibi lues grassaretur, Concilium Senas translatum est: quod cum ob instantia bella dissolutum fuisset, coetum illum Basileam tran-

sferendum indixit Martinus V., qui paulo post moritur: in ejus locum Eugenius IV. eligitur, qui Concili Basileensis indictionem ratam habuit. Conveniunt multi Patres Basileam. Legati Imperatoris, et Regum rogant Eugenium, ut ipse cum Cardinalibus Basileam se conferat, aliter in eam Synodus procedet, quod quidem effectum est: nam Eugenius depositus est a Concilio, et Electus Amadeus, qui dictus est Felix V. Defuncto Sigismundo Imperatore, Eugenius Concilium Basileense abrogat, et praescribit Patribus Ferrariam, ut ibi celebraretur Boncilium, quo adducti sunt Patriarcha Constantinop. et Episcopi Graeci, et Imperator eorum. Ex eo tempore dissolvitur Concilium Basileense, et in duas partes scinditur, altera Basileae remanet, altera ad Eugenium Ferrariam venit, et vocatis de jure vocandis, incepit Concilium Ferrariense quod deinde ob pestem ferrariae grassantem, Florentiam translatum est: incipit Concilium Florentinum, in quo unio Ecclesiae Graecae cum Latina conclusa est; finitum omnino schisma, Felix enim V. sponte sua dignitatem Papalem lubens abdicavit.

18. Statuta in Concilio Pisano, Constantiensi, et Basileensi Papae erga Generale Concilium subjectione, durante schismate qualis debet esse nostra subjectio, ad Papam, non stante schismate, definiendum erat. Et in hoc Divina elucet industria; nam in Concilio Florentino unanimi Graecorum, et Latinorum consensu, sequens Canon editus est. „ *Item definimus, inquiunt Patres, Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum: et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium Totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur*. Nunc

19. *De credendis circa gratiam*. Primum quod circa gratiam erat stabiliendum, est constitutio naturae humanae in justitia originali, in Adamo omnium nostrum capite, et lapsus ejusdem naturae humanae ab illo statu per peccatum Adami, et reparatio peccati per Christum. Hoc explicatur in triplici Concilio Chartaginensi, in duplici Africano, in Gallicano, Millevitano, in variis operibus Augustini, et demum in Conclio Trid: sess: de peccato originali, ubi contra Pelagium definitur peccati originalis communicatio, non imitatione, sed transfusione.

Secundum, quod statuendum erat, est necessitas gratiae: quod utique factum est in Concilio Arausicano secundo, et in variis operibus Augustini, et Prosperi: et demum in Trid: sess: de justificatione, ubi definitur contra Pelagianos, et Semipelagianos, gratiam esse absolute necessariam ad singulos actus, eamque operari in nobis, et nobiscum, initium, progressum, et consummationem operis salutaris, specialiter vero conferre ipsam perseverantiam in bono.

Tertium, quod statuendum erat, est suavitas gratiae, et unio ejusdem gratiae cum nostra libertate, et hoc feliciter factum est in Conc. Arausicano, et Trid. et in pluribus Augustini operibus, ubi contra Manicheos, Calvinistas Lutheranos definitur, gratiam non tollere libertatem. *Deus enim sic velle donat hominibus, ut possibilitatem, qua possint nolle, non auferat*.

Quartum, quod statuendum erat, est doctrina justificationis ab haereticis ultimi temporis miserandum in modum labefactata, et hoc factum est in Trid. Synodo, in qua singula, quae ad justificationem pertinent, exactissime recensentur.

20. *De credendis circa Sacramenta*. *Inferius n. 24.*

21. *De credendis circa, quae spectant, vel beatitudinem salvandorum, vel eternam damnandorum infelicitatem*. Statuta doctrina Sacramentorum, quibus ad gloriam ducimur, qualis futura esset illa beatitudo, explicandum supererat, et fusius explicandum, quis futurus esset invariabillis tam sal-

vandorum, quam damnandorum status? Et hoc quidem in pluribus actum est Conciliis, sed praecipue in Florentino, in quo determinatum est, animas non plene sanctificatas, in Purgatorio ad certum tempus detineri, plane purgatas, in Paradisum in aeternum evehi; infectas vero peccato, vel originali, vel actuali mortali, in infernum descendere, supponens jam definitum in Concilio Constantinopolitano I., priorum beatitudinem, sicut et posteriorum infelicitatem perpetuam, atque aeternam fore cum dicit in Symbolo, *cujus regni non erit finis*. Verba autem Florentini haec sunt „ Si „ vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam di- „ gnis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint, et „ omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem pur- „ gari, et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse, eis „ fidelium vivorum suffragia; Missarum scilicet sacrificia, „ orationes, eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fide- „ libus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ec- „ clesiae instituta, illorumque animas, quae post baptismum „ susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, „ illas etiam, que post contractam peccati maculam, vel in „ suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout su- „ perius dictum est sunt purgatae, in coelum mox recipi, „ et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est, „ meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: illo- „ rum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel „ originali solo decedunt, mox in infernum descendere, poe- „ nis tamen disparibus puniendas.

22. Post explicatam in variis Conciliis Generalibus fidem Catholicam circa Trinitatem, Incarnationem, Ecclesiam, Gratiam Christi, et Sacramenta, et futurum tum salvandorum, tum damnandorum statum, unum adhuc necessarium videbatur, videlicet, Concilium aliquod generale, in quo, quasi in brevi epilogo, omnia colligerentur, quae erant in variis Conciliis dispersa: et istud ultimum providit Deus, dum Concilium Tridentinum in magnum Ecclesia bonum, et congregari, et terminari voluit, in quo nihil omnino deest,

quod vel ad fidem explicandam, vel ad reformandos mores, vel ad disciplinam instituendam inservire possit, praecipue, si ei adjungatur Cathechismus ad Parochos, et uterque liber legatur, consulendo loca, quae in margine adnotantur. Si enim ea diligentia adhibeatur, tum planum fiet, Concilium, et Cathechismum Trid: nihil aliud esse, quam brevem Christianae, et Catholicae Religionis summam, quam concise quidem, sed clare proponit, quamque in variis tum Conciliis, tum Patribus, tum Auctoribus Ecclesiasticis fusius tractatam, appositis ad marginem notulis, indigitat.

23. Post traditam in variis Conciliis generalibus irrefragabilem credendorum divisionem, et post propositam in Tridentino omnium praecedentium Conciliorum oecumenicorum summam; unum adhuc desiderari potuisset ad maximum fidei nostrae incrementum, ut scilicet, quodlibet fidei nostrae mysterium ab haereticis impugnatum, speciale haberet concilium aliquod Provinciale, in quo, quasi ex professo fuisset propugnatum. Et Istud fidei nostrae ultimum fulcimentum non denegavit Deus Ecclesiae suae, quinimmo ita abundanter providit, ut nullum sit Misterium Religionis Catholicae ab haereticis impetitum, quod non solum in aliquo Concilio Gener. sed etiam in pluribus conciliis particularibus non fuerit ex professo stabilitum. Sic mysterium Trinitatis, et Incarnationis habet exactissime explicatum in Concilio Toletano XI. Doctrinam circa Ecclesiam ejusque proprietates, et dotes habes exaratam in Conc: Senonensi. Doctrinam de Gratia Christi reperies in Concilio Arausicano II. Brevem simul, et distinctam de Sacramentis instructionem continet Eugenii IV. decretum ad Armenos, ut mox videre est. Tandem, quis sit futurus damnandorum, et salvandorum status, definit Scriptura dicens „ *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*Aeternam Christi, et Sanctorum beatitudinem his verbis profitetur Symbolum Constantinopolit: *Cujus regni non erit finis*, et Trid: anathemate percutit *illos qui negant*, *Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes, esse invocandos* sess. 25. de invoc. Sanct. Et Tolet. IV.

c. 1. sic habet Percepturi sunt autem a Domino in die Novissima, alii *pro justitiae meritis vitam aeternam*, *alii pro peccatis supplicii aeternam sententiam*

24. *De Credendis circa Sacramenta*. Confessarius ad Morales resolutiones deveniet facile, cum sciat, quid circa Sacramenta determinet Catholica fides. Ideo de fide est, in lege Evangelica septem esse Sacramenta a Christo instituta, nec plura, nec pauciora, videlicet Baptismum: Confirmationem: Eucharistiam: Poenitentiam: Extremam unctionem: Ordinem; et Matrimonium: *Conc. Trid. sess. 7. can. 6* Certum insuper est, Sacramenta ista gratiam Christi continere, eamque, non ponentibus obicem ex opere operato conferre, constat enim tribus Sacramentis, videlicet Baptismo, Confirmatione, et Ordine conferri characterem indelebilem, proindeque haec tria Sacramenta haud iterari posse. Demum eadem fides docet, quodlibet Sacramentum tribus constare: Rebus; Verbis; Persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: qui Minister, licet peccator, vere Sacramenta conficiet, modo, quae sunt Sacramentis essentialia, servaverit. *Conc. Trid. ibid.*

Contra haec fidei dogmata insurrexerunt Gentiles, et Haeretici: Gentiles nulla admittunt Sacramenta: Cataphriges circa an.180. Sacramenta funesta esse contendebant. Cathari anno 256. Sacramenta nihil posse, nihilque efficere docuerunt: Catharistae an: 279. Sacramenta non modo inutilia, sed execranda esse voluerunt. Donatistae an. 356. Sacramenta a malis ministris collata, nulla esse asseruerunt: Idem docuerunt. Albanenses an. 796. Idem contendebat Wiclefus an. 1400. Armeni vero an. 1640., quos postea secuti sunt Lutherani, negantes gratiam per Sacramenta conferri. Luterani, et Calvinistae duo tantum esse Sacramenta, videlicet Baptismum, et Eucharistiam voluerunt. Ast hisce, aliisque furfuris hujus in sua pravitate relictis, cum Sancta Matre Ecclesia Catholico - Apostolico - Romana, et cum omnibus catholicis sentiens, dico, statuo, profiteor.

25. *De Baptismo necessario credendum est*. 1. Quod institutus sit a Christo ad tollendum originale vulnus. 2. Quod medium sit de via ordinaria, ad eternam salutem consequen-

dam necessarium. 3. Quod ex institutione sua, materiam habet aquam veram, et naturalem, formam vero hanc, vel aequivalentem. *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Circa baptismum varios in errores haeretici sunt prolapsi. Marcus Valentini discipulus an. 143. istam somniavit baptismi formam. *Ego te baptizo in nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, et in eo, qui descendit Jesus.* Cautaphriges an. 181. baptizare noluerunt in nomine Trinitatis. Paulus Samosatenus an. 270., noluit baptismum administrari in nomine trium personarum. Sabas an. 368. docuit baptismum nullam prorsus habere virtutem. Seleuciani, et Henriciani an. 368. noluerunt uti aqua in baptismate, sed igne. Jacobus Syrus an. 586. frontem baptizandorum, ferro candenti inurendam voluit. Flagellantes an. 1273. docuerunt baptismum aquae cessasse, et immutatum esse in baptismum Sanguinis flagello e proprio corpore excussi. Berengarius an. 1085. et Fraticelli 1304 docuerunt parvulos non esse baptizandos, sed adultos solummodo quibus Anabaptistae adhaeserunt.

26. *De confirmatione credendum.* Quod verum sit Sacramentum, quo confertur gratia roborans in fide, hujus Sacramenti virtute. Minister ordinarius est solus Episcopus. Materiam, et formam habet a Christo Domino, vel in genere, vel in specie institutam, quam Apostoli, eorumque successores adhibuerunt, quamque Ecclesia usurpat, istam scilicet formam, aut equivalentem. *Signo te, signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis.* Materiam vero impositionem manuum, aut chrismationem.

Sacramentum istud, multi insectantur Haeretici. Novatianus et Novatus an. 252. negarunt baptizatos debere Sacro crismate confirmari. Wiclefus an. 1450. Sacramentum hoc irrisit. Waldenses an. 1160. noluere Confirmationem esse Sacramentum. Lutherus an. 1520. docuit Confirmationem, nullam gratiam conferre, sed esse caeremoniam inutilem. Sectarii fere omnes Confirmationem tollere nituntur.

27. *De Eucharistia necessario credendum*. Quod in Eucharistiae Sacramento sit vere realiter, et substantialiter corpus, et Sanguis Domini N. J. Christi, quod quia subsistens, et animatum est cum eo simul existit anima vivificans, et Divinitas faciens subsistere. 2. Quod panis et vinum sint hujus Sacramenti materia. 3. Quod substantia panis, et vini convertitur integre per transubstantiationem, in substantiam corporis, et sanguinis Christi. 4. Quod sub altera tantum specie, totus, atque integer Christus continetur, atque sumitur. 5. Quod Christus sit in eo Sacramento cultu latriae adorandus. 6. Quod actio, per quam conficitur Sacramentum hoc (quam missam dicimus) sit proprie Sacrificium, pro vivis, et defunctis, non cruentum, ut fuit in Cruce, sed incruentum, quo nobis Sacrificium applicatur Crucis, et impetratur cordis contritio, spiritus poenitentiae, et peccatorum remissio, et demum ea, quae nos ad salutem possunt conducere.

Multi contra hoc irruerunt Sacramentum. Catharistae an. 269. docuerunt Sacramentum hoc haud confici posse ex pane confecto ex aqua, et igne. Armeni an. 640., non in Azimo, sed fermentato debere hoc confici Sacramentum volebant. Pauperes de Lugduno, sive Waldenses an. 1160. novam hujus Sacramenti formam finxerunt, consecrabant enim dicentes septies *Pater noster*. Sacramentarii, quos refutat Ignatius, negarunt in Eucharistia esse carnem Salvatoris Christi Jesu. Albigenses an. 1216. asseruerunt corpus Christi non aliter esse in pane, quam in aliis rebus. Beguardi, et Beguini an. 1314. voluerunt in elevatione corporis Christi, inter sacrificandum, nullam Christo exhibendam esse reverentiam. Wiclefus an: 1351. substantiam panis, et vini, post consecrationem remanere putavit. Carlostadius docuit Christum esse in Eucharistia, tamquam in signo, vere praesentem, si sumatur: non esse, si non sumatur. Missam non debere pro defunctis celebrari docuit Arius an. 342. Faustus Manichaeus an: 407. altaria, incensa, vasa, luminaria, ipsum denique sacrificium quodcumque impugnavit, quem secuti sunt

Petrus de Bruis, et Enricus Apostata. Pauperes de Lugduno an. 1160. potestatem conficiendi Eucaristiam laicis concessere, idemque Baleni docent. Wiclefus docet Christum non instituisse Missam. Lutherus vero Diabulo opitulante, et praeceptore docuit, non posse offerri pro peccatis, eamque soli Sacerdoti sacrificanti prodesse.

28. *De Poenitentia necessario credendum*. Quod sit verum Sacramentum a baptismo distinctum, cujus partes sunt. 1. Contritio; 2. Confessio. 3. Satisfactio. Forma vero haec verba: *Ego te absolvo*, aut aequivalentia. Credendum insuper est, quod Minister hujus Sacramenti, sit solus Sacerdos, habens ordinariam jurisdictionem, vel delegatam: Quod absolutio sit actus judicialis, non solum declarans, remissa esse peccata, sed etiam ea vere contritis, sincere confessis, et satisfacere proponentibus, remittens, nedum coram hominiqus, sed etiam coram Deo.

Haeretici contra poenitentiam fuerunt: Montanistae an. 180. qui docebant lapsos, quamvis poenitentes, numquam peccatorum aliquorum remissionem consequi posse, et sic Novatiani, Jacobitae an. seq. docuerunt non esse necesse peccata confiteri Sacerdoti, sed soli Deo. Item docuere Albanenses an. 799., quibus adhaeserunt, et Calvinistae. Waldenses an. 1170. Potestatem absolvendi adjudicantes, et Laicis. Wicletus an. 1410. voluit confessionem peccatorum factam Sacerdoti inutilem esse, eamque Papisticam carnificinam vocant sequaces Calvini, et Lutheri.

29. *De Extrema unctione credendum.* Quod sit verum Ecclesiae Sacramentum a Christo Domino institutum, et ab Apostolo Jacobo promulgatum. Materiam habet oleum; formam vero orationem deprecatoriam per verba ab Ecclesia usurpata. A solis Presbyteris, vel Episcopis conferri potest. Effectus hujus Sacramenti, est, alleviatio aegroti, et peccatorum, si quae sint in aegroto, remissio.

Hierarchiae an. 279. docuerunt extremam unctionem non fuisse a Christo Domino institutam. Albanenses an. 796. dixerunt Sacramentum hoc nihil prodesse. Sic Lutherani, Cal-

vinistae omnesque sectarii Sacramentum hoc derident, et contemnunt.

30. *De ordine credenda de fide*. Quod verum sit Sacramentum, quo Ordinato gratia confertur, et spiritualis potestas exercendi Sacra: Quod principatus, qui per Ordinem confertur, sacer sit, coalescens ex Episcopis, Sacerdotibus, et aliis ministris: Quod Episcopi sint Sacerdotibus superiores: Quod Episcopi potestatem habent conferendi confirmationem, et ordinem, quam Sacerdotes haud habent.

Contra hoc Sacramentum insurrexerunt Chatafriges an. 187. qui voluerunt posse simul, et mulieres sacris initiari Ordinibus, quibus, et Pepuzitae adhaeserunt. Tandenus Germanus aun. 1124. docuit Ordinem Sacerdotalem, et Episcopalem nihil esse, omnesque christianos Sacerdotes esse, quem Lutherus est secutus. Calvinus non alios agnovit Ministros, quam fideles aetate seniores.

31. *De Matrimonio credenda de fide*. Verum esse Sacramentum: Nulli licere plures habere uxores. Impedimenta ab Ecclesia inducta, matrimonium impedire vel contrahendum, vel dirimere jam contractum. Matrimonium ratum, et non consummatum dissolvi per professionem Religiosam; Matrimonium vero consummatum per solam mortem dissolvi. Matrimonium Claudestinum sine praesentia Parochi, et duplicis testis celebratum, nullum esse.

Sacramentum hoc, et verbo, et scriptis prophanaverunt Haeretici, Marcion. an. 151. nuptias dixit illicitas, Montanus an. 181. docuit Nuptiarum foedus, et vinculum pro conjugum arbitrio posse dissolvi, quod tenuerunt postea, et Graeci Schismatici. Tatiani an. 173., nuptias scortationem habuerunt. Adamei an. 194. matrimonium tamquam per se malum damnarunt. Armeni, Lutherus, Melancton, et alii negant, non solum Matrimonium non esse Sacramentum, sed et dissolvi posse docent juxta Mosaicam Legem, scilicet propter adulterium, more Judaeorum, asserentes posse saltem partem innocentem, conjuge superstite, alias inire nuptias.

Brevis haec expositio fidei ex Instructione Eugenj IV. ad Armenos, et ex Trid. extracta est. Haeretici autem, qui eam impugnarunt, referuntur ab Holeno Doctore Sorbonico, et refutantur passim in decursu Operis, et in meo Epitome Theologico Si quis velit singulos haereticos refellere, legat Alphonsum a Castro contra haereses. Hic aliquae adnectuntur in gratiam Arbitri Casuum.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO PAPA VII.

Exceptae in Bullario Romano edit. Typis Mainardi in Constit: 520. T. 6. part 6. fol. 84. et seq.

Feria V. die 24. Septembr. 1665,

In Congregatione General. Sacrae Romanae, et Universalis Inquisitionis Coram SSmo D. N. Alexandro VII. mature discussis infrascriptis propositionibus, scilicet

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et charitatis ex vi praeceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publicae sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629, 18. Junii in Concistorio Sac. Congr. Emorum Card. visa, et tolerata est.

4. Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque enim est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam cum juramento firmata, dandi stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti sup-

petere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, Sodomia, et Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis praecepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones, aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, et studium impenditur, interea idem SSmus, re mature considerata, statuit et decrevit praed. propositiones, et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit praeter quam in articulo mortis ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctae obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Item in Constitutione 38. fol. 110.
Feria V. die 18. Martii 1666.
Sequentes alias propositiones tamquam scandalosas damnavit scilicet:

29. In die Jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

30. Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio?

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In Die palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata, per Concil. Trid.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali conficiendi quamprimum, est consilium non praeceptum.

39. Illaparticula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitetur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgo *regalo*; dum deficiente illo nimis aegre ageret vitam, et aleae magno epulae tedio, concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum Legatum pro Anima relictum non durat plusquam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censurae

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus malure pensatis. Idem SSmus damnavit etc. ut supra.

PROPOSITIONES DAMNATAE

A SSMO DNO INNOCENTIO PAPA XI.

Excerptae a suprad. Bullario Romae edito an. 1679. fol. 80., et seq. Const. 54.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitates, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc votum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis frui actibus suis.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Praecepto Proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Saecularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est Filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et Fidei gloriosum, consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturale.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei, necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem

25. Cum causa licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis,

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, in-

telligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum est, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi, quam Legatario, contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel Legata solvantur se taliter defendere; sicut et jus habenti in Cathedram, vel praebendam contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus ne Puella deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et Famulae domesticae, possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviae inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram: potest Creditor aliquid ultra sortem a Mutuatario exigere, et ejus titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni, nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Thelogia.

45. Dare temporale pro spirituali, non est Simonia quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris aestimetur, quam res spirituales.

47. Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis, communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria, ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vere dignos, vel tandem loquitur tertio quando, fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malum, quia interdicta, ut contrarium omnino, rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione, dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis scienter humeris adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandamVirginem, et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo Januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat cum metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfait Praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro; qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest tamen reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Comunio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus Consuetudinem

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum Confessos ratione magni Concursus Poenitentium, qualis v. gr. contingere potest in die magnae alicujus festivitatis, ac Indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugienti occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SSmae Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri Jusu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO VIII.

In Constit. 35. *ibi fol.* 96.

Cum Feria 5. die 24. Augusti 1690.

In Congregatione Generali S. Romanae et universalis Inquisitionis fuissent in examen adductae duae sequentes propositiones, videlicet.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero, in conformitate actus cum

regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat ad finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu suae vitae moralis.

2. Peccatum Philosophicum, seu Morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi. Theologicum vero, et morale est transgressio libera Divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat; est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

SSmus Pontifex primam propositionem declaravit haereticam, secundam temerariam, scandalosam, piarum aurium offensivam, et erroneam, adeoque damnavit etc.

Deinde idem Pontifex in subseq. Constit. 35. in Congregatione habita Fer. V. die 7. Decembris 1690. fol. eodem damnavit sequentes n. 31. Propositiones, videlicet.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis:

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa, non excusat a peccato mortali.

3. Non licet sequi opinionem inter probabiles, probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est; sic ut proinde possumus merito petere *a gratia sufficienti libera nos Domine*:

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei charitas, Patris est. Si mundi concupiscentia Carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare,

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis, detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut Coelestem obtineat gloriam, non est reatus, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae Gehennae, et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, et supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi Lex, et praescriptio, natura rei ad ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque sunt Sacrilegae, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda minus levi, vel congrua poenitentia, seu satisfactione, ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam dignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quae fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suae per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus. *In nomine Patris* etc., praetermissis illis: *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respicientem ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia etc.

Quinque Propositiones Duellorum, abusui faventes damnatae a Benedicto XIV. in sua Constitutione *Detestabilem* Dat. Romae 10. Nov. 1752., excerptae in suo Bull. edit. Romana. Typis Congr. Propag. Fide 1757. T. 4. fol. 35. et seq. Et sunt sequentes videlicet.

1. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad Officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotioni alias sibi debitae, ac pro-

meritae, spe perpetuo carere deberet, culpa, et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis militiae, acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famae, et Officii.

4. Licitum est in statu hominis naturalis acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Extant multae aliae Propositiones ab aliis summis Pontificibus damnatae, sed ad rem nostri aevi illae, extractae e Synodo Pistojensi a Praesule Scipione Ricci celebrata anno 1786. Mense septembri, in qua in unum redegit, tamquam in Codice omnes absurdos sensus suos, ut videre est in suis litteris Pastoralibus, et in Collectione Eccleriasticorum Opuscolorum, qui periodice Typis committebantur tempore Episcopalis guberuii sui, magna Religionis bonorumque jactura, et scandalo.

Haec Synodus vix lucem vidit, cum Fel. Record. Pius Sextus, Sum.Pont.rigoroso adjudicavit examini, indicta Congreg.DD. Cardinalium, Praelatorum, magnique nominis Theologorum, qui per sex non interruptos annos, se indefesse mauciparunt in opere hoc perlustrando.

Anno proinde 1794. Mense Aug. Praelaudatus Summus Pontifex, suam emanavit Dogmaticam Bullam incip. *Auctorem Fidei*, qua solemniter damnavit octuaginta quinque Propositiones, in dicta Synodo cognitas, inter quas septem locum habent inter haereticas: Aliae falsae schismaticae, erroneae. Ecclesiasticae Hierarchiae subversivae, temerariae, Ecclesiae iniuriosae: Pietatis Fidelium offensivae, ducentes ad Sacra-

mentorum contemptum, Sanctaeque Ecclesiae, et SS. Concilii Tridentini Decretis omnino oppositae, venerationem offendentes Matris Dei, juraque Gener. Conciliorum, quas propositiones videmus damnatas in Wiclefo: Luthero, Bajo Jansenio, Quesello aliisque similis furfuris qualificationibus, quae objectum, characterem, indolemque declarant damnatae hujus Synodi. Sunt autem, quae sequuntur.

DE OBSCURITATE VERITATUM IN ECCLESIA.
Ex dec. de Gratia §. 1.

I. Propositio, quae asserit *postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi* ,, Haeretica.

DE POTESTATE COMMUNITATI ECCLESIÆ ATTRIBUTA, UT PER HANC PASTORIBUS COMMUNICOETUR. *Epist. Convoc.*

II. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus Ministri pro salute animarum* ,, quasi Haeretica.

DE CAPITIS MINISTERIALIS DENOMINATIONE ROMANO PONT. ATTRIBUTA. *Decretum de fide* §. 8.

III. Insuper, quae statuit *Romanum Pontificem esse Caput Ministeriale*. Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in Persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem Ministerii accipiat, qua velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput pollet in universa Ecclesia ,, Haeretica.

DE POTESTATE ECCLESIAE QUOAD CONSTITUENDAM, ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM.
Decretum de fide §. 13. 14.

IV. Propositio affirmans; *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigen-*

do id, quod pendet a persuasione, et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis.

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendas ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda. Haeretica.

V. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendae, aliter quam per media, quae pendent a persuasione.

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia, et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque, exteriore judicio, ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi.* Ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas* anni 1755. Primati Archiep. et Episcopis Regni Poloniae.

Inducens in Systema, alias damnatum, ut haereticum.

JURA EPISCOPIS PRAETER FAS ATTRIBUTA.

Decr. de Ord. §. 25.

VI. Doctrina Synodi, quae profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae Diaecesis.*

Perinde ac si ad bonum regimen cujuscumque Diaecesis necessarie non sint superiores ordinationes spectantes, sive ad Fidem, et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices, et Concilii Gener. pro universa Ecclesia.

Schismatica, ad minus erronea.

VII. Item in eo, quod hortatur Episcopum, *ad prosequendam naviter perfectiorem Ecclesiasticae disciplinae Constitutionem, idque contra omnes contrarias Consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini Diaecesis, majori gloria Dei, et majori aedificationi Fidelium.*

Per id, quod supponit Episcopo fas esse, proprio suo judicio et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque Provincia locum habent, sine venia, et interventu Superioris Hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae, et vim legis obtinent.

Inducens in Schisma, et subversionem hierarchici regiminis, *erronea*.

VIII. Item, quod et sibi persuasum esse ait: *Jura Episcopi a Jesu C. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse, et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suae Ecclesiae*.

In eo, quod innuit jurium Episcopalium exercitium, nulla superiori potestate praepediri, aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit, minus id expedire majori bono suae Ecclesiae.

Inducens in Schisma, et subversionem hierarchici regiminis. *Erronea*.

JUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI, ET DISCIPLINAE. *Epist. conv.*

IX. Doctrina, quae statuit *reformationem abusuum circa Ecclesiasticam disciplinam in Synodis Dioecesanis, ab Episcopo, et Parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis, indebitam fore subjectionem, suggestionibus, et jussionibus Episcoporum*.

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva favens haeresi Arrianae a Calvino innovatae.

Ex Epist. Convoc. Ex Epist. ad Vic. For. Ex Oratione ad Syn. §. 8. *Ex sess.* 3.

X. Item doctrina, qua Parochi, aliive Sacerdotes in Syn. congregati pronuntiantur una cum Episcopo Judices Fidei, et simul innuitur judicium in Causis Fidei, ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto.

Falsa, temeraria, Ordinis Hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

Orat. Synod. §. 8.

XI. Sententia enuncians veteri Majorum instituto ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae Saecula servato, receptum fuisse, *ut Decreta, aut definitiones aut sententiae etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent. et approbatae a Syn. Dioecesano.*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae Constit. Apostolicis, tum et sententiis ab Hierarchia superiore legitima potestate manantibus, Schisma fovens, et haeresim.

CALUMNIÆ ADVERSUS ALIQUAS DECISIONES IN MATERIA FIDEI, AB ALIQUOT SÆCULIS EMANATAS. *De Fide* §. 12.

XII. Assertiones Synodi complexive acceptae circa Decisiones in materia Fidei ab aliquot Saeculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari Ecclesia, vel paucis Pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia.

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae in Romanos Pontif. et Ecclesiam injuriosae, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae derogantes; Schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

DE PACE DICTA CLEMENTIS IX. *Or. Syn.* §. 2. *in nota.*

XIII. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX., pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis juris, et facti in subscriptione Formularii ab Alexandro VII. praescripti.

Falsa, Temeraria, Clementi IX. iniuriosa.

XIV. Quatenus vero a distinctione suffragatur ejusdem Fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando.

Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus injuriosa Schisma fovens, et haeresim.

DE COAGMENTATIONE CORPORIS ECCLESIAE. *Appendix n.* 28.

XV. Doctrina, quae proponit, Ecclesiam *considerandam*, *velut unum Corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite, et Fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu, et veritate.*

Intellecta hoc sensu, ut ad Corpus Ecclesiae non pertineant nisi Fideles, qui sunt perfecti Adoratorès in Spiritu, et veritate: Haeretica.

DE STATU INNOCENTIÆ.

De Gratia §.§. 2. 7. *De Sacram. in Gen.* §. 1. *De Tren.* §. 4.

XVI. Doctrina Syn. de Statu felici innocentiae, qualem eam repraesentat in Adamo, ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem, cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam Sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam solius creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanae Naturae, non gratuitum Dei beneficium.

Falsa, alias damnata in Bajo, et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.

DE IMMORTALITATE SPECTATA UT NATURALI CONDITIONE HOMINIS. *De Bapt.* §. 1.

XVII. Propositio his verbis enunciata. *Edocti ab Apostolo spectamus mortem non jam, ut naturalem conditionem hominis, sed revera, ut justam poenam culpae originalis.*

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato, insinuat mortem, quae in praesenti statu inflicta est, velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio.

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata

DE CONDITIONE HOMINIS IN STATU NATURAE. *De gratia* §. 10.

XVIII. Doctrina Synodi enuntians: *Post lapsum Adami, Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat, tamen Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum, : ac primum, ut in statu naturae: homo relictus propriis luminibus, disceret de sua caeca ratione diffidere, et suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis.*

Doctrina, ut patet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris Lumini in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus, supponatur sese potuisse movere.

Suspecta favens haeresi Semipelagianae

DE CONDITIONE HOMINIS SUB LEGE. *Ibidem.*

XIX. Item, quae subjungit, hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse non quidem culpa legis, quae Sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit superadditque legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus, desideraret gratiam Mediatoris.*

Qua parte generaliter innuit, hominem praevaricatorem eva sisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile* aliquid potuerit impetrare, qui justus est, aut damnaturus sit hominem, pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.

Ex S. Caesario Serm. 73. in Append. S. Augustini sermi 273. Edit. Maurina.

Et ex S. Aug. de Nat. et Gratia c. 43. De gratia et, lib. arb. c. 16. Ener. Psal. 56. n. 1. Falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.

XX. Qua parte datur intelligi hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris, ordinatum ab salutem promissam per Christum, quam *non ipsa Gratia faciat, ut invocetur a nobis*.

Ex Conc. Arausi; 11. c. 3. Propositio ut jacet, captiosa, suspecta favens Haeresi Semi elagianae.

DE GRATIA ILLUMINANTE, ET EXCITANTE. *De Gratia* §. 11.

XXI. Propositio, quae asserit, *lumen gratiae, quando sit solum non praestare, nisi, ut cognoscamus, infelicitatem nostri status; et gravitatem magni mali: Gratiam in tali casu producere eumdem effectum, uuem lex producebat: Ideo necesse esse, ut Deus creet in. corde nostro sanctum amorem, et inspiret Sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti: hunc amorem Sanctum, hanc Sanctam delectationem, esse proprie gratiam Jesu Christi: inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera: hanc esse gratiam novi Testam enti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei.*

, Quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quae creat in corde Sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur Filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminatio-

nem Spiritus sancti. (Trid. sess. 6. c. 5.) nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur.

Falsa, Captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenj damnatum, ut haereticum, eumque renovans.

DE FIDE VELUT PRIMA GRATIA. *De fide* §. 1.

XXII. Propositio, quae innuit, *Fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam, velut primam vocem, vocamur ad salutem, et Ecclesiam esse ipsammet excellentem virtutem Fidei, qua homines, fideles nominantur, et sunt.*

Perinde ac prior non esset gratia illa, quae, ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem.

Ex S. Aug. de dono Persev. c. 16. n. 41.

Suspecta de Haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.

DE DUPLICI AMORE *De Gratia* §. 8.

XXIII. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati: ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere, et corrumpere.

Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati, et constituitur Filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum, omnes illius actiones in se inficiantur, et corrumpantur: aut opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata, quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati.

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Trid. damnatum ut haereticum, iterum in Bajo damnatum *art.* 40.

§. 12. XXIV. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, cui una cum amore

beatitudinis, naturalique propensione ad bonum, *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae immaginis Dei ex S. Aug. de Spiritu, et littera c.* 28.

„ Perinde ac si, inter dilectionem Divinam, quae nos per-
„ ducit ad regnum, et dilectionem humanam, illicitam, quae
„ damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae re-
„ prehenditur. *Ex S. August. Serm. 349. de Charit. Edit. Maur.*

Falsa alias damnata.

DE TIMORE SERVILI. *De Poenit.* §. 3.

XXV. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum.*

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet, peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus, praeparans ad amorem justitiae.

Falsa, temeraria, perniciosa, Divinis Donis injuriosa, alias damnata, doctrinae Conc. Trid. contraria et communi *PP.* sententiae *opus* esse juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam „ ut intret timor primo per quem veniat Charitas.
„ Timor medicamentum, Charitas, sanitas. etc.

DE POENA DECEDENTIUM CUM SOLO ORIGINALI *De Bapt.* §.3.

XXVI. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem Limbi puerorum nomine Fideles passim designant) in quo animae decedentium cum sola originali culpa damni citra poenam ignis puniantur.

Perinde ac, si hoc ipso, quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpae et poenae inter Regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani.

Falsa, temeraria, in Scholas Catholicas injuriosa.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADJUNCTA CONDITIONE. *De Bapt.* §. 11.

XXVII. Deliberatio Synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos Canones, in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de emittenda formae conditionalis mentione.

Temeraria, praxi, Legi, Ecclesiae auctoritati contraria.

DE PARTICIPATIONE VICTIMAE IN SACRIFICIO MISSAE *De Euc.*§.6.

XXVIII. Propositio Synodi, qua postquam statuit *Victimae partecipationem esse partem Sacrificio essentialem*, subjungit: *non tamen se damnare, ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non comunicant, ideo, quia isti participant, licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo*.

Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec Sacramentaliter, nec spiritualiter de Victima participant, et quasi damnandae essent, ut illicitae Missae illae; in quibus solo Sacerdote comunicante, nemo adsit qui sive Sacramentaliter, sive spiritualiter communicet.

Falsa, Erronea, de Haeresi suspecta, eamque sapiens.

DE RITUS CONSECRATIONIS EFFICACIA. *De Eccl.* §. 2.

XXIX. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, remotis quaestionibus Scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post Consecrationem, vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus. 2. Tunc omnem panis, et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum Fidei Trid. Conc. definivit, et quae in solemni fidei professione continetur.

Quatenus per inconsultam hujusmodi suspiciosamque omissionem, notitia subtrahitur, tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae, ad illius tuendam professionem, adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaest. mere scholastica.

Perniciosa, derogans expositioni veritatis Chatolicae, circa dogmata transubstantiationis. favens Haereticis.

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII. *De Euch.* §. 8.

XXX. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*; dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii, cui vult: immo damnamus hunc errorem, velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet*. Unde, et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant*.

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio sacrificii, quae fit a Sacerdote non magis prosit, caeteris paribus, illis pro quibus applicatur quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac precipit Ecclesia speciatim a Pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a S. Trid. Synodo diserte est expressum. *Ex Trid. sess. 23. c. de Reform. Bened. XIV. Constit. cum semper oblatas*.

Est falsa, temeraria, perniciosa etc. damnata in Wiclefo

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO. *De Ech.* §. 5.

XXXI. Propositio Synodi enuntians, conveniens esse, pro Divinorum Officiorum Ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit Altare, sibique adeo placere morem illum restituere.

Est temeraria, perantiquo in Ecclesia vigenti probatoque mori injuriosa.

XXXII. Item Praescriptio vetans, ne super Altaria Sacrarum Reliquiarum Thecae, floresve apponantur.

Temeraria, pio, ac probato Ecclesiae mori injuoriosa.

Ibid. §. 6.

XXXIII. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem Rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferenda*.

Quasi vigens ordo Liturgiae ab Ecclesia receptus, et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet.

Temeraria, Ecclesiae contumeliosa etc.

DE ORDINE POENITENTIAE. *De Poen.* §. 7.

XXXIV. Declaratio Synodi, qua postquam praemisit ordinem Poenitentiae Canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit *se in ordine illo mirabili, et augusto, totam agnoscere dignitatem Sacramenti, adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adjunctae sunt.*

Quasi per ordinem, quo sine peracto Canonicae Poenitentiae cursu, hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta.

Temeraria, Scandalosa, Ecclesiae ipsi injuriosa etc.

De Poenit. §. 10. *n.* 4.

XXXV. Propositio his verbis concepta. *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis, oportet, ut Sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis, et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia comendati: redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum, et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet praecedere absolutionem. Longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias, etiam post absolutionem adimplendas. Si omnia bona nostra opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas admiserimus imperfectiones in difficillimo, et magni momenti opere nostrae reconciliationis.*

Falsa, temeraria communi Praxi Ecclesiae injuriosa, haereticali nota digna, ut in *Petro de Osma*.

DE PRAEVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS POENITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM. *De Grat.* §. 15.

XXXVI. Doctrina Synodi, qua postquam praemisit. *Quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quae fit in Sacramentis,* subdit, *supposititias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:* consequenter: *Pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis, antequam admittat* suos *poenitentes ad Sacramenta,* quae signa, ut deinde tradit, *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis, quem insuper fervorem charitatis, velut dispositionem, quae debet praecedere absolutionem.*

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae, ac probatae Ecclesiae praxi contraria Sacramenti efficaciae detrahens, et injuriosa. etc.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI. *De Poen.* §. 10. n. 6.

XXXVII. Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuncians. *Post institutionem Dioecesium, et Parochiarum, conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas, sive ratione territorii, sive jure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur, et perturbatio.*

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria, et injuriosa, et erronea.

Ibid. §. 11.

XXXVIII. Item doctrina, qua postquam Synodus professa est, se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae, ut ait, ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam cum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subjungit per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis, magnum fraenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent.

Contraria 13. Can. Conc. Nic. 1. Decretali Innoc. I. et Coelestini I, ad Episc. Vien. etc.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE. *De poen.* §. 12.

XXXIX. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones.

Temeraria, Perniciosa, a SS. Conc. Trid. praxi probatae contraria.

XL. Propositio asserens *Indulgentiam* secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per Canones statuta erat *peccanti*.

Quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae Canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud Div. justitiam.

Falsa temeraria. Christi meritis injuriosa, in Luthero damnata.

Ib. XLI. Item, in eo quod subditur, *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos, invexisse Thesaurum male intellectum, meritorum Christi, et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum*:

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentiam, non sint merita Christi, et Sanctorum.

Falsa, temeraria, Christi, et Sanctorum meritis injuriosa. Dum in artic. 17. in Luthero damnata.

Ib. XLII. Item in eo, quod superaddit, *luctuosius adhuc esset quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos*.

Temeraria, falsa, etc. in Luthero et Petro de Hosma damnata.

Ibid. XLIII. In eo demum, quod impudentissime invenitur in Tabellas Indulgentiarum, Altaria Privilegiata etc.

Temeraria Ecclesiae contumeliosa. etc.

DE RESERVATIONE CASUUM. *De Poen.* §. 19.

XLIV. Propositio Synodi asserens *reservationem Casuum*, nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem.

Falsa Trid. Conc. contraria superioris hierarchiae potestatis laesiva. etc.

Ibid. XLV. Item, de spe, quam ostendit fore, *ut reformato Rituali*, et Ordine Poenitentiae, nullum, amplius locum habiturae sint hujusmodi reservationes.

Propositio falsa Trident. et Pontificiae auctoritati derogans, injuriosa.

DE CENSURIS. *De Poenit.* §. §. 20. 22.

XLVI. Propositio asserens: *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriori communicatione Ecclesiae*:

Quasi excommunicatio non sit poena Spiritualis, ligans in Coelo, animas obligans.

Falsa, Perniciosa, in Art. 23. Lutheri damnata.

§. §. 21. 23. XLVII. Item, quae tradit, necessariam esse juxta leges naturales, et Divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu.

Temeraria, erronea. Ecclesia potestati injuriosa et erronea.

§. 22. XLVIII. *Item, quae pronuntiat inutilem, ac vanam esse formulam nonnullis ab his saeculis inductam, absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas Fidelis incidere potuisset.*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae iniuriosa.

§. 24. XLIX. Item quae damnat, ut nullas, et invalidas *suspensiones ex informata conscientia.*

Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.

Ibid. L. Item in eo, quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Trident. sess. 14. cap. de reformat., suspensionis ex informata conscientia legitime infligendae.

Jurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva.

DE ORDINE. *De Ordine* §. 4.

LI. Doctrina Synodi, quae perhibet, in promovendis ad Ordines hanc more, et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, *ut si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad Ordines Sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum, vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque cum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

§. 5. LII. Item, quae innuit non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in Conc. Calced. subjungens (§. 6.) quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu Sacrorum Ministrorum conformavit, Ecclesiasticum Ordinem floruisse: verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum Sanctuarii.

§. 7. LIII. Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a veteri instituto, quo ut ait (§. 3.) Ecclesia insistens Apostoli vestigiis, neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat nisi, qui conservasset innocentiam baptismalem.

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per Decreta et Instituta,

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitae sunt.

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate, et comoditate, probatae ordinationes, sine titulo specialis Officii, ut speciatim a Trident. ordinatio ad titulum Patrimonii etc.

3. Sive quibus jure canon. facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddat irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a Spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab Ecclesiastico ministerio,

omnes quoscumque, qui baptismalem innocentiam non conservassent.

Doctrina in omnibus suis partibus falsa Trident. injuriosa etc.

§. 13. LIV. Item, quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et Sacramentis administrandis, sicuti, et accipere quemlibet proventum, dictum *Stolae*, et generatim quodcumque stipendium, et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet Parochialis Functionis occasione offerretur.

Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiae, dum secundum receptum, et probatum Ecclesiae morem, et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo, accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur.

Falsa, Temeraria, Ecclesiasticis juribus laesiva, in Ecclesiam iniuriosa.

§. 14. LV. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine, inferiorum Ordinum Clericos designat), a Cathedralibus, et Collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris aetatis Laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis, et aliis officiis velut Acolythi etc. ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis Officia, non ad meram speciem pro majoribus ordinibus suscipiendi redacta erant.

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *Minorum Ordinum functiones per eos tantum, praestentur, et exerceantur, qui in illis constituti, et adscripti sunt* (Concil. Prov. IV. Mediol.), *idque ad mentem* Trid. sess. 23. c. 17.) *ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu, ad Ostiariatum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter recepta, et in pluribus locis aliquamdiu intermissae juxta Sacros Canones revocentur, nec ob haereticis tamquam missa traducantur.*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, Ecclesiasticis Ordinis perturbativa etc.

§. 18. LVI. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis Canonicis, quae proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam, nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem.

Aequitatis, et moderationis Canonicae a S. Conc Trid. probatae laesiva, auctoritati, et juribus Ecclesiae derogans.

Ibid: §. 22. LVII. Praescriptio Synodi, quae generaliter, et indiscriminatimvelut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plusquam unum residuale Beneficium, uni eidemque conferatur: Item in eo, quod subjungit, certum sibi esse juxta Ecclesiae Spiritum; plusquam uno beneficio, tametsi simplici neminem frui posse - Pro sua generalitate derogans moderationi Trid. sess. 7. cap. 5. et sess. 24. cap. 17.

DE SPONSALIIS, ET MATRIMONIO. *Libell. Memor. circa Sponsalia etc.* §. 2.

LVIII. Propositio, quae statuit Sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto, omnino subjacere - Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae.

Falsa, Juris Ecclesiae, vi canonicarum Sanctionum laesiva.

De Matrim. §. 7. *n.* 12.

LIX. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem, dumtaxat originarie spectare, contructui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia, quod jus originarium, praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum subjungens, supposito assensu, vel conniventia Principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii.*

Canonum 3. 4. q. 12. Sess. 24. Concilii Trid. eversiva haeretica.

Cit. libell. Mem. circa Sponsalia §. 10.

LX. Item rogatio Synodi ad Potestatem civilem, ut enumero impedimentorum tollat cognationem spiritualem atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani, tum ut restringat impedimentum affinitatis, et cognationis, ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem, per lineam lateralem, et obliquam, ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae

Libertatis, ac Ecclesiae potestatis subversiva, contraria Trident.

DE OFFICIIS. EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS. ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI, *De Fide* §. 3.

LXI. Propositio quae asserit, *adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem Divinum datum Creaturae.*

Ex Conc. PP. V. Gen. Can. 9.

Falsa detrahens debita cultui humanitati Christi praestando.

De Orat. §. 10. LXII. Doctrina quae devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu, rejicit inter devotiones, quas notat, velut novas, erroneas, aut saltem periculosas - Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata

Falsa temeraria etc.

De Orat. §. 10. *et Append. n.* 32.

LXIII. Item in eo, quod cultores, Cordis Jesu, hoc etiam nomine arguit, quod non advertaut SSmam Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a Divinitate, adorari non posse cultu latriae.

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu: Cor nempe Personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a Divinitate fuit in sepulchro.

Captiosa, in Fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

DE ORDINE PRAESCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS. *De Orat.* §. 14. *Append. n.* 34.

LXIV. Doctrina, quae velut superstitiosam universa notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum, et piarum salutationum*;

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis; pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro, et religioso cultu rite, et ex ordine peragendo.

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati Fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

De Poenit. §. 10.

LXV. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt Exercitia, vel Missiones . . . forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura*,

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.

DE MODO JUNGENDÆ VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIÆ IN PRECIBUS PUBLICIS. *De Orat.* §. 24.

LXVI. Propositio asserens, *fore contra Apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiae*;

Intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae,

Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRAE SCRIPTURÆ.

Ex nota in fine Decr. de Gratia.

LXVII. Doctrina perhibens a lectione Sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*; subjungens ultro se prodere obscurationem, quae ex hujusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa; alias in Quesnellio damnata.

DE PROSCRIPTIS LIBRIS IN ECCLESIA PUBLICE LEGENDIS.

De Orat. §. 29.

LXVIII. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnelli Commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque Parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque Paraeciis Populo post reliquas functiones perlegant.

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae injuriosa, Schisma fovens, et haeresim.

DE SACRIS IMAGINIBUS. *De Orat.* §. 17,

LXIX. Praescriptio, quae generaliter, et indistincte inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent Imagines Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.

Ex Brevi *Sollicitudini nostrae* Benedicti XIV. an. 1745.

LXX. Item doctrina, et praescriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere,

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui divid̄it propria unicuique prout vult.*

Ex S. Aug. Ep. 78. Clero, Senioribus, et universae Plebi Ecclesiae Hipponen.

LXXI. Item quae vetat ne Imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur praeterquam denominationibus, quae sint analogae Mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi, nec adscribi possent Imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat, et commendat.

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi Beatae praesertim Virgini debitae injuriosa.

LXXII. Item, quae velut abusum extirpari vult morem quo velatae asservantur certae Imagines.

Temeraria, freqoentato in Ecclesia, et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori, contraria.

DE FESTIS. *Libell. Memorial. pro Fest. reform.* §. 3.

LXXIII. Propositio annuncians novorum Festorum institutionem ex neglectu in veteribus observantiis, et ex falsis, notionibus naturae, et finis earumdem solemnitatum originem duxisse.

Falsa, temeraria, scandalosa Ecclesiae injuriosa, favens Haereticorum in dies Festos, per Ecclesiam celebratos, conviciis.

Ibid. §. 8. LXXIV. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum Festis per annum institutis: idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam Ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales, ideoque et praeceptum Missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum Episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis.

Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro festis, jejuniisve celebrandis; aut indictum Missae audienda praeceptum abrogare.

Propositio falsa, juris Conciliorum Gener. et Summorum Pontif. laesiva, scandalosa: Schismati favens.

DE JURAMENTIS. *Libell. Memorial. pro Juram.* §. 5.

LXXV. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a Documentis Divini Praeceptoris, atque ab aurea evangalica simplicitate adeo aliena, *ut ipsummet jurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus*: Insuper *Continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse*: indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae Curia Ecclesiastica, Jurisprudentia feudalis, ut ait, normam secuta in investituris, et in Sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit: Statuitque adeo implorandam a Saeculari Potestate legem pro abolendis juramentis, quae in Curiis etiam Ecclesiasticis exiguntur, pro suscipiendis muniis, et officiis, et generatim pro omni actu Curiali.

Falsa, Ecclesiae injuriosa, Juris Ecclesiastici laesiva: Disciplinae per Canones inductae, et probatae subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS. *De Collat. Ecclesiast.* §. 1.

LXXVI. Insectatio, qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit, inveniendis novis, et inter*

se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et axismum,

Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt.

Falsa, temeraria, in Sanctissimos viros, et Doctores, qui magno Catholicae religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens in festis in eam Haereticorum Conviciis.

Ibidem. LXXVII. Item in eo, quod subdit, *mutationem formae Regiminis Ecclesiastici, qua factum est, ut ministri Ecclesiae sive in oblivionem venirent suorum jurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones Ministerii Ecclesiastici et sollicitudinis Pastoralis,*

Quasi permutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae, et probatae obliterari unquam potuerit, et amitti notio Ecclesiastici Ministerii, Pastoralisve sollicitudinis.

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§. LXXVIII. Praescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in Collationibus, qua, postea quam praemisit *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem, et ad essentiam Religionis, ab eo quod est proprium disciplinae,* subjungit, *in hac ipsa* (disciplina), *distinguendum, quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo, quod est periculosum; aut noxium, utpote inducens ad superstitionem, et Materialismum.*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam, et probatam, quasi Ecclesia, quae Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in Superstitionem, et Materialismum.

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae, ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS, USQUE ADHUC AGITATAS. *Orat. ad Syn.* §. 1.

LXXIX. Assertio, quae conviciis, et contumeliis insectatur sententias in Scholis Catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil aliud definiendum, aut pronunciandum censuit,

Falsa, temeraria, in Scholas Catholicas iniuriosa, debitae Apostolicis Constit. obedientiae derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

Libell. Memorial. pro reform. Regularium §. 9.

LXXX. Regula prima, quae statuit universe, et indiscriminatim, *Statum regularem, aut Monasticum, natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse Ecclesiasticae Hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae Monasticae principiis,*

Falsa Perniciosa, et in SSmos Ecclesiae Patres, et Praesules, qui regularis vitae instituta cum Clericalis Ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori, Summorum Pontificum Sanctionibus contraria.

Quasi Monachi, quos morum gravitas et vitae, ac Fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae, Clericorum officiis aggregentur.

Ex S. Siricio Epist. Decret. ad Himerium Tarracon. c.13.

LXXXI. Item in eo, quod subjungit, Sanctos Thomam, et Bonaventuram, sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium Institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio major desideranda fuisset

Scandalosa in SSmos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis favens.

LXXXII. Regula 2. *Multiplicationem Ordinum, ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem, et confusionem.* Item in eo, quod praemittit §. 4. *Regularium Fundatores, qui post Monastica Instituta prodierunt, Ordines superaddentes Ordinibus, reformationes reformationibus*, nihil aliud effecisse, *quam primariam mali causam magis magisque dilatare.*

Intellecta de Ordinibus, et Institutis a S. Sede probatis quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem, et confusionem parere debeat,

Falsa, calumniosa, in Sanctos Fundatores, eorumque fideles Alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices iniuriosa.

LXXXIII. Regula 3. qua postquam praemisit, *parvum Corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque Monarchiam figit in statu, semper esse periculosam*, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis Instituti vinculo, sub uno praesertim capite consociata velut speciales totidem Monarchias civili Reipublicae periculosas, et noxias.

Falsa, temeraria, Regularibus Institutis a S. Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens Haereticorum in eadem Instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE, SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA PRO REFORM. REGULARIUM. §. 10.

LXXXIV. Art. 1. *De uno dumtaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris Regula S. Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita: Sic tamen, ut in his quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio,*

apud Portum Regium lucem praeferat ad explorandum, quid addere quid detrahere conveniat.

2. *Ne compotes fiant Ecclesiasticae Hierarchiae, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad Sacros Ordines promoveantur, praeter quam ad summum unus, vel duo, initiandi tamquam Curati, vel Cappelloni Monasterii, reliquis in simplici Laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum tantum in unaquaque Civitate admittendum Monasterium, idque extra moenia Civitatis, in locis abditioribus, et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae Monasticae pars sua labori manum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore Psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, Orationes, preces, tantumdem, peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, Sanctitasque Regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio Monachos inter, sive choro, sive Ministeriis addictos: inuequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a Communitatibus Regularium Spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuae Stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres Monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio, et Christianismi ornamentum extiterunt. Vota Castitatis, paupertatis, et obedientiae non admittentur instar communis, et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen numquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur, ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: Ad ipsum pertinebit Monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto Contubernalium Consilio.*

8. *Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes in hoc Monasterium admitti etiam possent, modo in silentio, et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent: Quo casu dispensationi locus fieret in generali Regula n. 2. statuta. sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut, non plus quam una, aut ad summum duae in diem Missae celebrentur statisque coeteris Sacerdotibus esse debeat una cum Communitate concelebrare.*

Item pro reform: Monialium.

§. 11. Vota perpetua usque ad ann. 40, aut 45, non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae. A carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae. Expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret Monasterium in Civitate relinqui

Systema vigentis, atque jam antiquitus probatae, ac receptae disciplinae sulversivum, perniciosum, Constitutionibus Apostolicis, et plurium Conciliorum etiam Gener. tum speciatim Trident. Sanctionibus oppositum, et injuriosum, favens Haereticorum in Monastica vota, et Regularia Instituta stabiliori Consiliorum Evangelicorum professiani addicta, conviciis, et calumniis.

DE NATIONALI CONCILIO CONVOCANDO.

Libell. Memorial. pro convoc. Concil. Nation. §. 1.

LXXXV. Propositio enuntians, qualemcumque cognitionem Ecclesiasticae Historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem Concilii Nation. unam esse ex viis Canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum Nationum controversiae spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem, et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortae, per Nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei, et morum quaestionibus Nationali Concilio competeret.

Schismatica, Haeretica.

Mandamus igitur etc. ut *in citata Bulla* Auctorem Fidei etc. dat. Romae die 28. Augusti 1794.

Domine Deus, Une: Deus Trinitas. Quecumque dixi in his libris de tuo agnoscam, et Tui: Si quae de meo, et Tu ignosce, et Tui Amen.

S. August. lib. 15. *de Trinitate c.* 61.

EXPLICIT PARS POSTERIOR.

INDEX ALPHABETICUS

In quo habentur nomina earum rerum de quibus in hoc opere tractatur.

L

M

SUPPLEMENTUM

Hac, quae sequuntur, pertinent ad Litteras respèctive primae, et alterius partis Epitomes, alphabetice dispositae

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. Magist. Sac: Palatii Apostolici.

J. Della Porta Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praedic.
S. Palatii Apostolici Pro Magist.